This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LP
26
818

~~5 Ap 55~~

Lp 26. 818.

Bd. 1873.

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

$0.30

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

Recd. 28 Aug. 1863.



QUAESTIONUM PLAUTINARUM

LIBER PRIMUS

SIVE

DE HIATU IN VERSIBUS PLAUTINIS.

SCRIPSIT

CAROLUS LINGIUS

MAGDALENAEI COLLEGA.

VRATISLAVIAE,

APUD JOANNEM FRIDERICUM KORN, SENIOR.

MDCCCXVII.

£ 26.818

1863, Aug. 28.

30

Salisbury Fund.

PRAEFATIO.

Quum corruptionum, quibus obsitae et inquinatae ad nos pervenerunt fabulae Plautinae, praeter librariorum Romanorum incuriam, hanc invenissem caussam, quod grammatici et critici priscam sermonis Latini pronunciationem et prosodiam, quam vocant, ex sua quisque aut Augustea aetate

dijudicarent ad eamque normam versus Plautinos exigerent; coepi egomet paullo studiosius naturam illius rationemque perscrutari, poetae nostro, si possem, inde aliquid salutis quaesiturus. Ita factum est, ut multa vitia vitiorumque deprehenderem fontes, quumque pararem, quae investigassem, publico eruditorum judicio proponere, casu in hiatum delatus, hoc quidquid est libelli conscripsi. In eo potissimum id egi, ut demonstrarem, quae ratio sit hiatus in Plauti versibus, qua lege, quibus locis eum admiserit poeta, ostenderemque simul, quo modo ad hiatum removendum, et a quibus depravati fuerint singuli loci. Ex eo potissimum, quod vetustissimas editiones adhibere potui, lectio-

nisque discrepantia, a me exhibita manifestum erit, post editionem Principem, nullam e solis libris manu scriptis esse concinnatam, depravatorem Plauti esse Pyladem Brixianum, hujusque vitia, ut hominum morbi per successiones quasdam traduntur, propagata esse e Brixiana anni 1506. per Parmensem a. 1510. Juntinas, Aldinas, Venetam a. 1518. maximam partem etiam per Cratandriam aliasque, quae etiamnum apud criticos vetustatis caussa nimium habent auctoritatis. Praeter ea Plauti exemplaria, quorum mentionem feci in libello meo, pleraque consului; nam tanta eorum penes me est multitudo, ut non adeo multa desiderem; sed consulto de aliis tacui, alia rarissime in con-

silium adhibui, vel quod modo priora repeterent, vel omnium manibus tererentur, ut Taubmannia, vel admodum dubiae essent fidei, ut Pareana, ob incredibilem editoris audaciam, novandi pruritum et levitatem, qui saepius in libris manu scriptis alia omnia legerit, quam Gruterus, iisdem usus. Gronovii, qui secundum Camerarium optime de Plauto meruit, ideo non semper rationem habui, quod plerumque numerorum curam subterfugiebat omninoque metri leges non satis perspectas habebat, ut docuit Bentlejus in Emendat. Crit. ad Menandr. p. 54. Ut alios multos mittam, non possum dolorem celare, quem e Bipontina secunda percepi. Gloriatur illa in Praefatione, Brunckium novam

Plauto lucem accendisse et in veritatem antiquam restituisse poetam. Quae quam vana sit professio, quam desultorie Brunckius munere suo functus, norunt omnes, qui priorem Bipontinam cum hac Brunckiana vel leviter contulerint. Etenim illam repeti jussit, tanta quidem religione, ut vitia adeo typographorum propagaret, veluti Aul. I, 2, 14. quaeriret, quod in illa est, pro quaereret. Emendationes tantum ad orthographiam pertinent, quas in universum probo, praeter molesta illa conruptus, inmundus, numquam, eumdem, quae nec scripta sunt Plauti aetate, nec audita unquam. Sed si quando a trita via deflectit, tum plerumque avius a vera longe ratione

vagatur. Ita in loco planissimo, Most. I, 2, 40. lapsus est, medios inter bacchiacos trimetro jambico interjecto. Nam pro eo, quod in omnibus libris est: Et fúndamentúm substruúnt liberórum fecit: et fúndamentum líberorum súbstruunt. Aut alto supercilio despiciebat scriptores Romanos, aut graece quam latine doctior erat magnus Brunckius. Bothius, ut novissimus Plauti editor, eo minus praetereundus nobis videbatur, quo confidentius sua commenta in ipsa poetae verba recepit.

Ceterum ne quis mihi objiciat, meas me partes destituisse potius quam transegisse, quaedam, non omnia Plauti metra persecu-

tum; nolui omnia morosius et cum pulvisculo exhaurire, sed tantum usitatissima et de quibus certi aliquid constitui possit. Ac si quis quaerat, num quae de hiatu in Plautinis versibus dixi, etiam de reliquis poetis scenicis intelligi velim, quorum fragmenta maxime apud Grammaticos exstant; fateor me Grammaticis, singulos veterum poetarum versus citantibus, non tantum fidei habere, ut de his locis certum judicium ferre audeam. Nam primum Grammatici ipsi pessimis libris sunt usi. Hoc jam apparet ex Plauti locis, quos commemorant; nam aut eos habent, qui hodie non exstant, aut eos, qui aliter leguntur in Plauti exemplaribus, denique si plures unum eundemque locum adfe-

runt, plerumque toto coelo inter se dissident. Ac ne videntur quidem ipsis auctoribus, quos laudant, sed excerptis quibusdam usi esse. Gellii quidem aetate neque Ennii neque Naevii scripta exstitisse, vel ex eo apparet, quod Gellius saepenumero eorum quaedam adfert secundum Varronis testimonium, veluti XVII, 21. (Tom. II. p. 416. ed. Conr.) Deinde alia memoriter citant, alia sententiae, alia unius vocis caussa, nulla versus ratione habita. Denique, quod inter omnes constat, ipsi pessime habiti ad nos perveherunt. Subsidia, quibus uti nobis contigit, haec fere sunt: Codex Aululariae Ms. Bibl. Univers. Viadr. Vrat. papyraceus, forma majore, in quo

praeter Aululariam ab initio continentur minora quaedam carmina, ut Virgilii de ortu solis: Virg. experientia de Iri: Virg. de signis coelestibus: de quatuor temporibus anni: Virg. Hortulus: Virg. Rosae: Virg. de speculo: Moretum aliaque, quae partim in Virg. Catalectis, partim in Anthol. Latin. et in Poetis minoribus legumtur; praeterea alia quaedam diversissimi argumenti, edita et non edita. Ultimo loco est Plauti Aulularia. In plerisque congruit cum editione Principe et maxime cum Aululária, quae Lipsiae prodiit, curante Hermanno Buschio, impressa per Baccalaureum Herbipolensem 1508. *fol. in non nullis tamen etiam ab his recedit. Habet quoque Supplementum Codri*

Urcei, quo totus codex finitur. In fine haec scripta sunt: Finis vigilia poste: ho: 3a. 1516. quod tempus utrum scribendi an legendi finis fuerit non audeo definire. Festi Codex Regius Berolinensis, tenuissima membrana satis eleganter scriptus, octonis, in glossarum ordine vel ab antiquissimis libris editis discrepans. Hoc codice multis in locis Festo vera restituitur lectio et Scaligeri emendationes confirmantur. Et hunc et illum debeo beneficio summi Schneideri, cujus insignem in aliorum studiis juvandis liberalitatem et ego expertus sum. Editionis Principis, quae est in Bibl. Rhediger. usum mihi concessit hujus Bibliothecae meritissimus Praefectus, Menzelius. His spe-

ramus mox alia accessura subsidia; etenim Kopitarius, vir amplissimus, Plauti codicum Mss., qui in Bibl. Imperiali Viennensi asservantur, collationem humanissime pollicitus est. Alia aliunde exspectamus. Nam novam Plauti editionem paramus criticam et exegeticam; nosque operae pretium fecisse existimabimus, si idem Plauto praestiterimus, quod Seidlerus Euripidi, cujus et externam formam referet Noster. Volumen Primum, sive Mostellaria, vere proximo prodibit. Ceterum iis, qui assiduis exhortationibus studia mea exacuebant, re consilioque juvabant, dubitantem confirmabant, timido animum addebant, quoniam ne no-

mina nominem, ipsorum verecundia facit, quam maximam animus capere potest, tacite habeo habebоque gratiam.

Scripsi Vratislaviae, mense Majo cIↃIↃccccxvii.

ARGUMENTUM.

I. De hiatu in universum.

II. *De hiatu in fine ordinis metrici.*

III. De hiatu post primam dipodiam trimetrorum iambicorum.

IV. De hiatu post secundam dipodiam trimetrorum iambicorum.

V. De hiatu post primam dipodiam versuum trochaicorum.

VI. De hiatu post tertiam dipodiam tetrametrorum trochaicorum catalecticorum.

VII. De hiatu in versibus bacchiacis.

VIII. *De hiatu in fine sententiae* et primum quidem in personarum mutatione.

IX. De hiatu post interpunctionem.

X. De hiatu in exclamatione.

XI. De alio hiatus genere.

XII. De hiatu in nominibus propriis.

XIII. De hiatu ante vocem *homo*.

XIV. Emendantur loci quidam, in quibus vitiosus est hiatus.

XV. De elisione et synizesi.

De hiatu in versibus Plautinis.

I.

Hiatus in carminibus Graecorum quantum negotii facesserit criticis, quot exercuerit calamos, nemo nescit. Et profecto non potest negari, Graecos multo facilius admisisse hiatum quam Romanos, quorum lingua natura sua ita ferebatur ad elisionem et synizesin, ut, quae nunc in illis terris viget, matre pulcra filia non sane pulcrior, etsi ab omnibus fere illius virtutibus degeneraverit, in eo tamen referat matrem, quod synizesis et elisionis amorem non deposuit. Diligenter igitur veteres Romani hiulcam vocum concursionem ut vitiosam fugiebant aut elidendi arte dissimulabant. Docet hoc cum ipsa

poetarum lectio, tum insignis ille locus Ciceronis, a) ubi Ennium non nisi semel hoc sibi indulsisse ait. „At enim, inquis, satis frequens est hiatus apud Romanos et maxime apud Plautum.“ Recte tu quidem, sed tum semper aut excusationem habet aliquam, aut etiam necessitatem. Bentlejus quidem hiatui suas scripsit leges, sed perquam adstrictas; nam exturbandum eum censet, nisi tria haec

a) Orat. c. 45. *Nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere* (i. e. non elidere) *voces conceditur. Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, indicant omnes poetae, praeter eos, qui ut versum facerent, saepe hiabunt, ut Naevius:*

Vos qui ascolitis Hístrum fluvium atque Algidum.

Et ibidem:

Quam núnquam vobis Gráji atque Bárbari.

At Ennius semel:

Scipio invicte.

Et quidem nos:

Hoc metu radiantis Etesiae in vada ponti.

Minus commode ultimum hoc exemplum tanquam hiatum adferri a viro oratorii quam poetici numeri peritiore, vel me tacente intelligitur. Hanc enim rationem non censeri hiatum, potissimum in versibus dactylicis, sensus ipse, qui communis dicitur, docet, et diserte traditur a grammaticis. Cf. inter Graecos Aristides p. 46. et inter Romanos Theodorus Mallius de metris p. 10. *Communis vero syllaba fit, cum productam vocalem sequitur vocalis, ut: Insulae Jonio in magno.*

sint conjuncta, primum ut verbum sit monosyllabum, deinde ut syllaba sit longa, si quidem in vocalem exeat, ictum denique habeat in prima syllaba anapaesti. b) Post Bentlejum pauci tantum hunc locum tetigerunt praeter Hermannum, qui suo exemplo docuit, has Bentleji leges, ut nimium adstrictas, esse relaxandas. Cui viro etsi, quidquid in his literis meum est, acceptum refero, nemo tamen, si quaedam ex his, quae ut a me inventa profero, forte congruant cum iis, quae nuper docuit ille in Elementis doctrinae metricae, nemo, inquam, tam iniquus erit horum studiorum aestimator, ut me aut fraudis insimulet, aut *τἀλλότριον ἀμᾶν ϑέρος* clamitet. Consulto enim haec omittere nolui, quia in omni literarum genere plurium idem quaerentium consensus inventis fidem addit et auctoritatem.

b) Huc pertinet in primis locus in Schediasm. de metr. Ter. §. 8. et ad Horat. Carm. III., 14. 11. Praeterea de ea re loquitur ad Horat. Sat. II., 2., 28. ad Terent. Adelph. V., 8., 25. Hecyr. V., 2., 21.

II.

Jam vero facile intelligitur, ubi sive *numeri* sive *sensus* pausam aliquam fieri jubeant, ibi sine omni aurium offensione orationem hiare posse: qua ratione Bentleji leges non tam abrogantur, quam subrogantur. Et *numeri* quidem verborum cursui moram adferunt in eo versus loco, ubi ordo aliquis finitur, non igitur in ultimi, sed in cujusque ordinis fine i. e. *in caesura*. Quod ubi fit, voces, temporis intervallo distractae, ne sentiuntur quidem hiare, quod aures aliis in locis vehementer aspernantur. Quo major igitur erit incisio, eo minus reprehensionis habebit hiatus, eoque frequentior erit, idque maxime in mediis cujusque generis tetrametris [c]. Quare jam ante hos viginti annos Hermannus [d] docuit, Plautum tetrametros jambicos catalecticos et acatalecticos asynartetorum le-

---

c) Verissime Boeckhius de metris Pindari p. 103. *Plautus*, inquit, *tetrametros suos asynartetos fecit, admisso in distinctione ordinum hiatu.*

d) De metris p. 179. et 185.

ge mensum esse; quibus et nuper [e]) rectissime trochaicos tetrametros catalecticos et acatalecticos itemque creticos adjunxit.

III.

Verum etiam in fine cujusvis dipodiae trochaicae legitimus nobis videtur hiatus, et primum quidem *in trimetris jambicis*, [f]) qua observatione immensae locorum multitudini a criticis depravatorum antiqua lectio restituitur. Neque tamen novum est hoc corruptionis genus aut a recentissimo Plauti editore invectum, quanquam hic ea in re omnibus, qui unquam Plautum

e) Elementa doctr. metr. p. 87. et 91 et 205.

f) Rem a Bentlejo ad Terent. Eun. III., 1., 18. obiter significatam, ab Hermanno in Element. doctr metr. aliquoties, clarius sed cum haesitatione, monitam jam dudum observaveram, quum etiam alios idem invenisse vidi, ut Rostium, V. Cl. in Plautinorum Cupediorum Ferculo VII. p. IX. Omnino Rostius egregie de Plauto meruit tot ejus locis obscuris et paene desperatis lucem et opem afferendo; ad quam laudem seculo hoc critico et ab interpretatione averso pauci adspirant. Nuperrime eandem rem docuit Censor Plauti Bothiani in Jen. A. L. Z. 1816. num. 174. et Osannus in Analect. critic. p. 113.

corruperunt, haud dubie palmam praeripuit; sed fundamentum et radices habet altissimas. Nam quicunque Plautum describere aut edere conabatur, bellum sibi paratum cum hiatu putabat. Ita

Aulul. I, 1, 5.

Nam quâ me nunc causa extrusisti ex aedibus?

illud *me* est spurium; nam et commode potest abesse, increpantes enim solent elliptice loqui, et abest etiam a cod. Vrat. editione Principe, Veneta II et III. g) Primus addidit Pylades Brixianus h), metri necessitate, ut ipse ait. Deinceps in omnibus legitur, sed ita, ut sedem mirum in modum variet. Atque etiam librarii pronomina *me*, *te*, *se* saepius inculcarunt, quam

g) *Venetam secundam* dico, quam Scutarius, Merulae discipulus, jussu magistri e Principe excudi curavit, sublatis quibusdam typographorum vitiis 1495. 4. *Venetam tertiam* dico, quae prodiit 1499. Nam quae vulgo fertur Veneta s. a. cum commentar. P. Vallae et Bernardi Saraceni (Index Weigelii num. 7754.) ea nulla exstat, sed est eadem, quam nos tertiam dicimus.

h) Pylades millenis in locis poetam nostrum corrupit, cui et emendandi pruritu et maledicendi libidine parem Plauti editorem nostra demum vidit aetas. O dignum patella operculum!

temere omiserunt, ad rimas scilicet explendas. Multa jam removerunt Reizius et Hermannus, multa restant, velut Mil. IV, 3, 42.

Nam quos videre exoptabam me maxime.

Jam accentus docet, *me* esse spurium, et abest sane ab antiqq. edd.

Item restituenda est vetus lectio

Aulul. II, 4, 18.

Pumex non aeque dridus atque hic est senex.

Nam alterum *est*, numerorum complementum omittitur in cod. Vrat. et antiquissimis libris ante Cratandrium editis, Eadem ratione emendanda sunt plura loca: Rud. Prol. 63.

Ib. Prolog. v. 7.

Thesaúrum auri clam ómnis: in medió foco.

Ita cod. Vrat. et omnes editi usque ad Camerarium, qui transposuit verba: *Au. th.* ut solet, non monito lectore.

Ib. II, 4, 37.

Pulméntum pridem éji eripuit mílíus.

Both. inseruit *etiam* post *ei*. Non est quod moneam, *eji* pro *ei* apud Plautum et Lucretium saepius inveniri, ut Curcul. IV, 3, 12. Cas. Prol. 35. 37. Epidic. I, 1, 34. Mostell. IV, 2, 32. secundum Acidal. Ita etiam

scripsit Reizius Rud. Prol. 25. 68. Codices in his rebus nullius sunt auctoritatis.

Ib. III, 5, 11.

In máxima illaec pópuli parte est óptuma.
In pauciore, avidis altercatio est.

Ita est in cod. Vrat. ed Pr. Venet. II et III. Lips. 1508. Veneta 1518. Aldina et Juntina 1522. Cratandr. 1523. Primus Camerarius in Hervagiana priore habet:

In maximam illuc populi partem est optumum.
In pauciores avidos altercatio est.

quod postea omnes receperunt acquiescentes in Lambini explicatione: „*illud, divites indotatas uxores ducere, maximae populi parti est utilissimum. Nec dubium est, quin, si fiat, quod dico, major pars populi probatura sit. Restant nunc pauci locupletes et avari, quibuscum controversia mihi est.*“ Probabo, si quis mihi triplicem exemerit scrupulum. Nam primum dubito, an res aliqua dici possit *bona in aliquem*; deinde altercationem facimus *cum aliquo*, non *in aliquem*; denique simplex controversia, vel

disputatio, cujusmodi haec est, non dicitur *altercátio*, quae est disceptatio cum jurgio, intermixtis convitiis, quales exercent mulieres morosae et oblatratrices. Quare censeo, paucis mutatis, veterem lectionem esse urgendam. Prior versus servandus est, sed in *pauciore avidis* inest vitium, quod appareret e difficultatibus, quibus sensus laborat, tum vero etiam ex eo, quod *avidis* sequente versu repetitur. Nam quis dixerit: *avidi animum habent avidum.* Locum e sententiarum nexu et literarum ac notarum vestigiis ita refingo:

In máxima illaec pópuli parte est óptima,
In párcius a re hábitis altercátio est,
Quarum ánimis avidis átque insatietátibus etc.

h. e. in maxima populi parte mulier est benevola et blanda et moderata, sed si qua e dotatis illis, insanae aviditatis mulieribus, parcius paulo et restrictius pro re familiari a marito habetur, tum altercatur et ei illud oggannit: „hem! cui decem talenta dotis detuli!“ *A re* est *quantum attinet ad rem familiarem*, quo significatu haec praeposi-

tio saepius a Nostro adhibetur, ut Aulul. II, 2, 9. *male valere a pecunia.* Pro *avidis* scripsi *habitis* non sine exemplo adspirationis per librariorum oscitantiam omissae. Haud raro scripserunt *abitus* pro *habitus*, *omnes* pro *homines*, *onustus* pro *honestus*, *oneratus* pro *honoratus*, *ora* pro *hora*, *oriens* pro *horrens*, et id genus alia. *Quarum* pro *quorum* reperi in margine editionis Venetae 1518 manu scriptum.

Ib. III, 5, 34.

Stat fúllo, phrygio, aúrifex, landrius.

Both: *phrygiod.*

Ib. IV, 6, 13.

Indeque óbservabo, aúrum ubi abstrudát senex,
Quanquam híc manere mé herus sese jússerat.

Both. *observabo ego.* Posteriorem versum e cod. Vrat. ed Pr. et Junt. atque. Aldina restitui. Cratandria omisit *me.* Camerarius primus verborum ordinem mutavit; ex quo apparet, criticos etiam hujus generis hiatus dimovisse.

Ib. IV, 8, 3.

Memorâre nolo hóminum mendicâbula.

Both. inseruit *me.*

Ib. I, 1, 26.

Nunc ibo, ut visam, éstne ita aurum, ut cóndidi.

Ita est in cod. Vrat. ed Pr. et omnibus veteribus. Pylades metri causa primus scripsit *sitne*, quem adeo sequuntur Camerarius et Dousa. Both. pro *ut* scripsit *uti*. Conjunctivum modum saepissime jungi interrogativis indefinite positis non a Plauto solum, sed ab omnibus scriptoribus Romanis, res est in vulgus nota. Cf. Rhunkenius ad Rutil. Lup. p. 98.

Ib. 30.

Quéo cómminisci, íta me miserum ad húnc modum.

Ita cod. Vrat. et omnes editi ante Camerarium, qui dedit *me ita*; Both. ut nos, sed versum ita legit, ut *ita* ultimam syllabam habeat longam, de quo alio loco dicetur.

Asin. IV, 1, 14. lege:

Forés occlusae ómnibus sint, nísi tibi.

Ita ed. Pr. et omnes ante Camerar. qui fecit *sient*. Unus Pylades intrusit *viris* ante *omnibus*. Both. *occlusaed*.

Ib. 24.

Ad eórum ne quem óculos adjicidt suos.

Pylades injecit *illa* post *quem*. Both. *quemquam*.

Ib. 30. lege:

Neque illaec ulli hómini pede pedém premat.

Nam vulgatam lectionem, quae quidem in omnibus libris est, peperit fuga hiatus, quod accentus docet. Pylades malebat: *pede homini pedem premat.*

Ib. 33.

Spectándum ne quoi dnnulum det néque roget.

Pylades et Both. *quoiquam*.

Ib. 34.

Talós ne quoiquam hómini admoveat, nisi tibi.

Hunc versum tulerunt Pylades et Both. sed more suo legunt:

Talós ne quoiquam homini ádmovedt, nisi tibi.

Pseud. I, 1, 24. lege ex ed. Pr. Veneta II et III.

Intérpretari álium posse néminem.

Ugoletus et Grapaldus *posse reor* metri causa fecerunt, quos sequuntur Juntina et Cratandria. Camerarius dedit vulgatum *potesse*, quod omnes deinceps servant.

Ib. 42.

Lacrimans titubanti ánimo, corde et péctore.

Ita et falsa quidem versuum distinctione legebatur ante Pyladem, qui transposuit verba: *anima titub.* Hoc receperunt omnes usque ad Camerarium. Both. *titubantid.*

Trin. Prol. 18.

Huic nómen graece ést Thesauro fábulae.

Ib. I, 2, 169. malim cum Bentlejo vulgatum verborum ordinem servare, quam cum Hermanno mutare; quare lego:

Quod quísque in animo hábet, aut habiturú'st, sciunt.

Stich III, 2, 7.

Mustéla murem dbstulit praetér pedes.

Ib. 18.

Qua lége nunc me ésurire opórteat.

Poenul. III, 4, 8.

Ibíque reliqua ália fabuldbimur.

Ita legitur in ed. Pr. Veneta II et III. qui postea dederunt, alii alio modo hiatum removere conantur.

Ib. 15. lege:

Rem advérsus populi ésse leges? Scívimus.

Esse pro vúlgato *saepe* est in ed. Pr. Veneta II et III. et in cod. Salmasii, Both. adeo fecit *semper*.

Ib. V, 2, 8. Rectissime legitur:

Creta ést profecto hórunc hominum ordtio.

Nam ita est in omnibus antiquis, nisi quod falso *certa* habent pro *creta*. Inde a Pylade pro suo quisque lubitu versum interpolabat. Both.: *Cretá profecto est* etc. O quam teretes viri sunt aures!

Ib. V, 3, 19.

Quum huc ddvenisti hódie in ipso témpore.

Ita in omnibus antiquis legitur. Pylades: *atque hodie*, quod recepit Cratandr. Bothius pro *quum* habet *quando*.

Menaechm. V, 3, 6.

Lumbí sedendo, óculi exspectandó dolent.

Officiose Both. ut hiatui caveret, suum *d* suffulsit *sedendod.*

Rud. Prol. 55. ex ed. Pr. legi debet:

Dicít: potesse íbi eum fieri dívitem.

Non ut Reizius dedit:

Dicít: potesse ibi fiéri eum dívitem.

Mostell. I, 1, 80. Lege:

Videó corruptum éx adolescente óptimo.

Ita ed. Pr. omnesque usque ad Pyladem, qui metri causa infersit *hic.*

Rarissima sunt exempla hiatus falso eam in sedem recepti, veluti

Asin. IV, 1, 40. ubi vulgo legitur:

Post si lucerna exstincta est, ne quid sui,

sed ita legi debet:

Post id sí lucerna exstíncta sit, ne quíd sui,

id recepi ex ed. Pr. et aliis vulgatis ante Camerarium libris; *est* pro *sit* comparet primum in Taubmannia II, 1621. inde per omnes deinceps propagatum. *Si* quando est pro *si forte*, ut h. l. tum debet sequi conjunctivus, postulante usu jam Plautinae aetatis.

Aulul. III, 6, 5. nihil fere probat:

Cererin', Strobile, hás facturi núptiás,

nam potest etiam legi *Cererine*.

Mercat. II, 1, 35. apud Both. ita legitur:

Adscéndo in lembum átque ad návim ádvehor.

Atque ego illi adspício fórma éximia múlierem,

sed potius ex ed. Pr. legi debet:

Adscéndi in lembum atque ád navim advehor: átque ego

Illíc adspício etc.

IV.

Sed dixi, etiam in fine secundae dipodiae, ante creticum, nihil offensionis habere hiatum; etsi facile concedo, rarius ibi inveniri eum, quam in penthemimeri. Cujus rei rationem non difficile est perspicere, quoniam medio in versu rectius conquiescit oratio, quam paulo ante finem. Reperiuntur tamen multa ejusmodi loca, in quibus nulla corruptionis vestigia apparent, veluti

Mercat. IV, 4, 5. qui locus duos parietes de eadem fidelia dealbat, quum duplex insit hiatus, cujus generis versus frequentissimi sunt.

Vidére, amplecti, ósculari dlloqui.

ita omnes libri antiqui, scripti et impressi, praeter Pyladem, quem sequitur Juntina et Cratandria, quae habent: *atque alloqui.* Sed Camerarius, Coel. Sec. Curio in Hervagiana altera, Sambucus, Dousa, Lambinus, Pareus, Taubmannus in priore et Both. habent *amplectier, osculari.* Taubmannus in altera 1612 primus revocavit antiquam et veram lectionem; hunc sequitur Gruter. et Gronov.

Asin. IV, 1, 15.

In fóribus scribat, óccupatam ésse se.

ita omnes libri praeter Pyladem, qui transposuit: *in for. occ. scr. es. se*, metri ratione cogente, ut ipse ait. Locum hunc intactum reliquit Bothius aeternum hiatui bellum juratus.

Ib. 46.

Tolldm. quidni? audi réliqua. loquere, aúdio.

Pylades *audi nunc*, quia versus aliter non constaret, ut ipse addit. Both. *reliqua eloquere.*

Casin. I, 38. vulgo legitur:

Post autem ruri nisi tu acervom ederis.

Merula in ed. Pr. nec de versuum distinctione nec de verborum sensu sollicitus haec jussit excudi:

post autem nisi ruri tu
Acervo mederis: *aut quasi etc.* eodem modo Veneta II. Hoc Saracenus ita refinxit:

nisi tu ruri ervom ederis.

Idem viderunt Pius Bonon. et Phil. Beroaldus, reprehensi ob id ab Ugoleto et Grapaldo, qui dederunt in Veneta 1518 lectionem non contemnendam:

Post autem nisi ruri tu acer comederis,

probatam Juntinae. Sed Aldus, Cratander, Sambucus et Coel. S. Curio: *ervom comederis.* Mss. Langii: *autem ruri tu nisi Acervo mederis.* Camerarii *acervom* nunc omnes libros occupavit. Sed quid quaeso est *acervum comedere?* Nihili enim est Turnebi interpretatio, jam ab omnibus recepta, esse idem ac *de frugum acervo vivere rodendo ut*

mures. Primum *acervus* non absolute ponitur pro *frugum acervo*, nisi si jam antea sermo de iis fuerit. (Ut Tibull. I, 1, 77, nam in toto carmine sermo fuerat de vita rustica. Hic versus cohaeret cum v. 9 et 25. ubi ego legere malim: *Jam modulo possum contentus vivere parvo.*) Deinde semper notat copiam quandam et congeriem, et suave est ex magno tollere acervo; quod qui possunt, nae hi profecto fame non laborant. Denique non potest dici *acervum edere* pro *de acervo*. Quare veram lectionem hanc esse puto:

Post autem nisi rure tu aut ervom ederis,
Aut etc.

ervum Isidor. Origg. XVII, 4. leguminis genus dicit, quod dum sit quibusdam pecoribus infestum, tauros tamen pingues efficit. Noster Mostell. I, 1, 59. *Ervom daturin' estis, bubus quod feram?* cf. summi Schneideri Index Scr. R. R. *Aut* quum per compendium esset scriptum, transierat in *ac*; quod etiam vidit Both. nisi quod ad hiatum vitandum transposuit verba: *post autem ruri aut ervom nisi tute ederis.*

Mostell. I, 1, 19. 20. Lege:

Dum tibi lubet licétque, pota, pérde rem,
Corrúmpe herilem ádolescentem óptimum.

Nunc ante *dum* est illud quidem in ed. Pr. sed omissum in Veneta II. quam Scutarius Merulae jussu curavit; deest etiam in Ven. III. *filium* post *herilem*, quod deest in omnibus antiqq. edd. instrusum est ab Ugoleto et Grapaldo, quos sequuntur, ut solent, Juntina, Aldina et Cratandria et deinceps omnes. Ceterum etiam e paronomasia: *lubet licetque* saepius apud veteres obvia, intelligitur pronuntiatio affinis literarum *i* et *u*. cf. Heinrich ad Cic. Oratt. pro Scauro etc. partes ineditas p. 77.

Poenul. Prol. 94.

Huc cómmigravit iń Calydonem haúd diu.

ita omnes antiqui praeter Pyladem, qui transposuit verba: *Huc in C.* quod etiam placuit Bothio. Hermann. Elem. doctr. metr. p. 190. hunc locum in iis posuit, qui facile corrigi possint.

Rud. III, 6, 21.

Ego húnc scelestum iń jus rapiam éxulem.

Ita ed. Pr. Reizius *E. h. sc. r. jam i. j. e.*

Trin. Prol. 15. vulgatam servandam esse censeo:

Dedi meam gnatam, quícum aetatem éxigat.

Bacchid. III, 4, 24.

Morí me malim éxcruciatum ínopia.

Bóth. *Moriri malim med excr.*

Menaechm. III, 2, 11.

Prandí, potavi, scórtum accubui, ábstuli Hanc.

Ib. 53.

Uxóri rem omnem iam út sit gesta éloquar,

ut est in ed. Pr. non *uti.*

Poen. I, 3, 34.

Nam istí quidem hercle orátioni Oédipo.

Opu'st cónjectore.

Aulul. Argument. alt. v. 1. [i]) vera lectio est:

Aulám repertam aúri plenam Eúclio.

---

i) Duo argumenta in omnibus libris praefixa sunt Aululariae. In cod. Vrat. alterum: *Senex avarus* etc. inscriptum est: *Argumentum non Plautinum*, alterum acrostichon: *Argumentum verum Plauti.* Atque haec mea quoque est qualis cunque de his acrostichidibus sententia. Nunquam enim animum inducere potui, ut eas grammatici cujusdam esse crederem. Prisciani esse vel propterea non possunt, quia verba: *pretium ob asinos* ex Argum. Asinariae v. 3. tanquam Plauti laudantur

Nam *domi*, quod vulgo additur, inse-
sit Pylades sententiae et metri causa, ut ipse
testatur. Vulgata jam accentu se prodit.

Mostell. I, I, 37. lege:

at te Jupiter
Diique omnes perdant, oboluisti dllium.

Huc pertinet locus Statii Caecilii apud *Cic. de Nat. Deor. III*, 29, qui ita legi debet:

quem neque
Quo pacto fallam, néque quid inde duferam,

quem neque sunt quidem Caecilii verba, sed a Cicerone suae orationi adaptata. Aliter sentiebat Heindorfius ad h. l.

---

a Donato, duobus fere seculis antiquiore, ad Terent. Andr. III, 5, 4 atque etiam versus quidam ex Argum. Militis a Nonio ut Plautinus citari dicitur, sed quem ego nondum inveni; (cf. Longo. Rexhoru) deinde quia nusquam Prisciani operibus junctae leguntur; denique quia multa iis conjectione et de accentibus vehementer abhorrent.

Cf. M Accius Plautus und Friedr. Wolfg. Reizen Rerend Kordes p. 48. sq. Plautinae aetati propterea eas tribuo, quod haec non aliena erat ab ejusmodi lusibus; nam etiam Ennium, Plauti aequalem, acrostichides fecisse, e Cicerone constat; Plauto ipsi vindicandas censeo ob numerorum et dictionis praestantiam.

Nolo plura addere; satis enim exemplorum contulisse mihi videor, unde appareat, Plautum in fine cujusvis trimetrorum ordinis hiatum admisisse. Quod quin consulto fecerit, quum non possit dubitari; sequitur, eorum infringi errorem, qui Plauti in servandis numeris nescio quam futilem negligentiam aut insanam temeritatem somniant et hariolorum nomine insigniunt eos, qui ad metricarum legum normam ejus versus exigere conantur. Contra et retunditur ambitiosa criticorum sedulitas, qui quidquid hiat, id continuo pro vulnere habent, cui curando usque a columna rostrata medicinam arcessunt, gloriantes, se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium. Denique refutantur ii, qui cum Reizio [k]) contra Bentlejum et Hermannum pro jambica trimetrorum dimensione pugnant, nominatim Carolus Reisigius Thuringus, V. Cl. [l]) qui opinionem semel temere

k) Reizius in Dissertat. Burmannum de doctrina metrorum Terentianorum judicare non potuisse. Lips. 1787. 4. p. X. sq.

l) Conjectaneorum in Aristophanem lib. I. p. 4.

susceptam adeo obstinate tenet, ut, quum trochaicam caesuram non possit non agnoscere, eo denique delabatur, ut eos trimetros, qui non possunt in *jambicas* dipodias describi, distinctos esse dicat jambico monometro hypercatalectico et trochaico dimetro catalectico. Quod merum esse viri sagacissimi commentum, non difficile est intelligere, et nostra observatione liquido apparet. Ubi enim hiatus identidem reperitur, ibi majorem quandam incisionem statuisse poetas, necesse est. Atqui hiatus non in jambicae, sed trochaicae dipodiae fine invenitur. Certum igitur est, dimensionem non fuisse jambicam, sed trochaicam. Et quod adeo ante creticum finalem hiatus est, ex hoc vel me tacente apparet, ad nihilum recidere duplicem illam ex jambicis et trochaicis conflatam trimetri naturam. Medio enim in ordine, quod constat, hiatus esse non potest. Neque tamen haec ita a nobis disputabtur, ut omnes omnino trimetros, sine ulla numerorum commutatione, eadem caesura distingui dicamus; sed tam frequens est, ut regnare in iis merito dici

possit, ut, si jambicos tetrametros catalecticos exceperis, non meminerim ullius apud Plautum hiatus a jambica caesura nati. Quin si inveniuntur hiatus, qui et aliunde, veluti a sensu verborum, excusationem possint habere, de quo postea dicetur, fere semper in fine trochaicae dipodiae locum habent; cujus rei innumera in Plauto exstant exempla.

V.

Venio ad versus *trochaicos*; nam et hi in fine cujusvis dipodiae hiatum admittunt. Ac primum quidem post *primam* dipodiam.

Aulul. II, 3, 7.

Atque occlude aedes jam ego hic ddero. Quid ego nunc agam?

Ib. III, 3, 7.

Intro abi, opera huc conducta est vestra, non ordtio.

In quo duplex est hiatus, alter post *abi*, alter post *opera*.

Ib. IV, 4, 15.

Lárvae hunc atque intemperiae insániaeque agitánt senem.

Asin. II, 2, 26.

Edepol hominem infelicem, qui patronam cómprimat.

Asin. V, 2, 24.

Fúndum alienum árat, incultum fámiliarem déserit.

Both. *F. ar. al.*

Casin. III, 1, 1.

Núnc amici, ánne inimici sis imago, Alcésime.

Non potest huc referri, quod cuiquam videri possit.

Trin. III, 2, 30. hunc enim locum Bothius, qui nihil solet probare, nisi quod sibi soli placet, ingenio suo fruens ita nobis restituit.

Ut rem patriam ét majorum meúm faedarim glóriam,

quum rectissime Hermannus dedisset, ut est in ed. Pr.

Ut rem patriam et glóriam majórum faedarim meum.

VI.

De hiatu, qui est post *secundam* dipodiam, sive mediis in tetrametris trochaicis, nihil addo; tam enim frequens est, ut propriam ibi sedem et domicilium collocasse videatur, adeo ut Hermannus hos versus inter asynartetos referret. Quare statim ad *tertiam* progredimur dipodiam et quidem catalecticorum; nam et in his ante creticum non rarus est hiatus.

Asin. II, 2, 112.

Ille est ipsus jam égo recurro huc. tu hùnc interea hìc tene.

Both. *tute.*

Ib. V, 3, 23.

Ille opère fortis faciundo làssus noctu àdvenit.

Both. *Ille for. op. - - - - noctud -*

Curc. II, 3, 55.

Quód tibi est, itém sibi esse, mágnam argenti ínopiam.

Both. pro *est*, quod omnes habent, posuit *esset*.

Ib. V, 2, 38.

Nihil est, quod ille dícit, fac me certiorem, óbsecro.

Quod habet ed. Pr. pro vulgato *quidquid*.

Mercat. V, 2, 11.

Egomet mihi comés, calator, équus, agaso, armiger.

Both. *agasod.*

Ib. V, 4, 8. 9.

Quí bono sunt génere nati, si sunt ingeniô malo,
Suápte culpa génere capiunt génus, ingenium improbant.

Haec est lectio trium antiquissimarum edd. nisi quod *si sunt*, in iis non legitur, pro quo Veneta 1518 habet *praediti*; eadem *ex genere*, item quae hanc plerumque sequuntur, Juntina et Aldina et Cratandria. Non alter Plauti locus hoc magis est vexatus criticorum commentis, quae vide sis apud Gruterum ad h. l. Ultimus manum admovit Gronovius, qui ita constituit:

Suópte culpam géneri capiunt, génus ingenio improbant,

quod Both. recepit, litera sua interjecta: *ingeniod.*

Miror, tot hominum illustrium ingenia frustra in hoc loco rectius constituendo desudasse et nodum in scirpo quaesivisse. Pro vulgato *ingenium* Mss. habent *ingenio.*

Hoc si restituitur, omnis evanescit difficultas. Quare non transversum unguem a Mstis discedens lego:

Quí bono sunt génere nati, sí sunt ingenió malo,
Súapte culpa génere capiunt génus, ingenio
improbant.

i. e. *genus inveniunt eo tantum, quod nascuntur; sed hoc genus corrumpunt pravis moribus.* Ita in singulis versibus bina sunt membra, quae egregie sibi respondent, quod suus quemque sensus docebit. *Suapte culpa* non refero ad *genus capiunt*, sed ad universam sententiam. *Genus capere genere* dicebantur sine dubio veteri proverbio homines nequam, fruges consumere nati, in quibus nihil possit praedicari, nisi quod nati sint. *Capere* neminem offendet; nam *capi* dicebantur omnia, quae hereditatis jure ad quempiam perveniunt; apud Ciceronem saepius est *hereditatem capere*, et postea apud ICtos in formulam solennem abiit. *Improbat* proprio ac nativo sensu accipio, ut sit improbum reddit, corrumpit et, ut Horatius dixit, indecorat. Opponuntur sibi h. l. *genus* et *ingenium*, ac si re vera sibi con-

traria sint, in quo manifestus est lusus verborum: *sie entwürdigen ihren Adel durch Unadel (der Gesinnung)* atque eo pravam progeniem procreant,

Ἐκ τοῦ κακοῦ γὰρ ἡ φύσις τίκτει κακόν,
Ὡς ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίγνεται.

Ecdorus ap. Stobaeum Grot. p. 365.

Poenul. III, 1, 32.

Quód tu invítus núnquam reddes dómino, de quo éderis.

Ib. 35.

Both. *de quid.*

Quidquid est pauxíllulum illuc: nóstrum id omne íntus est.

Ita ed. Pr. Both. *omned.*

Mil. V, 9.

Cúr es ausus súbagitare aliénam uxorem, ímpudens?

VII.

In *creticis* eandem obtinere legem, demonstravit Hermannus loco supra laudato. De *bacchiacis*, nisi fallor, hanc in rem nihil monuit. Sed etiam in his nos

eadem in sede hiatum et syllabam ancipitem observavimus.

Menaechm. V, 2, 11.

Repénte expetít me, ad sése a me ut írem.

Ita locum verissime restituit Gulielmius, quum in Mstis inveniret: *ad sese me ut irem*, ante alterum *me* excidisse literulam *a* conjiciens; *a me* i. e. domo mea. Quod quum redundare et frigere videretur criticis, temere expunxerunt, non cogitantes, senem hic loqui dicaculum. Neque probatur mihi Reuvensii V. Cl. [m]) ratio ita constipantis:

Repénte expetít sic me ut dd sesed írem.

Omnino vix dici potest, quantopere Reuvens amet Bothianam illam literam. Similiter

Ib. 20. ita scripsit:

Nisi dut quid commíssid aut júrgid est caúsa,

quem locum nos vestigia ed. Pr. secuti (in qua est: *nisi aliquid commissi aduirgii ẽ cā.*) ita restituimus:

Nisi dliquid commíssi, aut ést causa júrgi.

nam ultimus pes purus esse debet.

---

m) Collectanea litteraria, p. 115.

Truc. II, 5, 8.

Lucri causa avára probrúm sum exsecúta.

Falso Bothius existimat, ultimam syllabam in *avara* produci ob sequentis verbi duplicem consonantem, quae productio aliena est a Plauti aetate.

Lepidissimus est locus *Pseud. V, 1, 1, sqq.* Venit Pseudolus madide madens et vino tam gravis, ut pedibus insistere nequeat. Mirabundus prodit in scenam et altercans cum pedibus suis, quod officium denegare audeant; nam in hos omnem culpam transfert. Hoc Plautus ad naturae veritatem expressit numerorum varietate et quasi vacillatione. Stantque labantque pedes histrionis et cum iis lingua quoque titubat.

Quid hóc? siccine hóc fit? pedés, statin' dn non?
An id voltis, út me jacéntem aliquis tóllat?
Nam hércle si cécidero véstrum erit flágitium.
Pérgitin' pérgere? ah! céviendúm mihi
Hoc die est.
Magnum hóc vitium víno est, pedés captat primum,
Lucidtor dolósu'st.

Profécto edepol égo nunc próbe dbeo madúlsa;
Ita víctu excurâto, ita múnditiis dígne. ah!

Nihil mutavi, nisi quod pro *seviendum*, quod habent Mss. et ed Pr. scripsi *ceviendum*, quod Gronovio debemus, qui conjecit *cevendum* locumque primus vere interpretatus est. Inest jocus turpiculus; nam *cevere*, quod significat *clunes movere*, potest intelligi cum de Bacchi tum de Veneris servitio. Veteres dixisse *cevo*, *cevis*, docent grammatici, nec dubito, quin dixerint *cevio*. *Abeo madulsa* veram esse lectionem, vidit Scaliger, qui ad Festum v. *madusa* corrigit *madulsa*; n) *v.* 9. est hiatus medio in versu.

VIII.

Quemadmodum vero in fine ordinis poetici, sive in pedum inter se aptorum et colligatorum serie exeunte, hiatus commode locum habet; ita etiam in fine verborum

n) Scaligeri emendatio confirmatur etiam Festi Cod. Reg. Berol. ubi haec leguntur: *madulsa hebrius a graeco deductum vel quia madidus satis vino sit.*

sensu inter se nexorum, i. e. *in sententiae cujusque exitu*, oratione acquiescente, hiatus aures praetervolat. Quare Plautus, acutissimus naturae humanae non speculator tantum, sed etiam imitator, non dubitavit in ejusmodi locis elisionem negligere, ac primum quidem *ubi persona mutatur*. Exempla, quae Hermannus Elem. doctr. metr. p. 190. eam in rem adfert, quum omnia fere, ex nostra quidem sententia, a caesura excusationem habeant, haec illis addere non supervacuum duximus.

Asin. IV, 1, 11.

Addóne? DJ. Adde et scríbas vide o) *plane et probe.*

---

o) *Vide* est pyrrhichius. Multorum primae, secundae et quartae conjugationis verborum imperativi ultimam semper habent brevem apud Plautum. Observarunt hoc et alii, sed nemo adhuc, quantum scio, verum vidit, ne illi quidem, qui rem ita expediebant, ut pleraque verba olim tertiae conjugationis fuisse demonstrarent. Non enim promiscue omnia verba ita usurpantur, sed tantum *dissyllaba, quae priorem syllabam habent brevem*. Itaque semper corripiuntur *abi* et *redi*, nunquam vero *exi*, semper *vale*, nunquam *salve*. Ut rem paucis exemplis demonstrem, omnes hi imperativi ambas syllabas habent breves: *abi* Rud. III, 6, 17. IV, 3, 88. Trin. II, 4, 185. Mostell. V, 1, 32. — *cave* Aulul. IV, 2, 1. Captiv.

Reizius malebat: *et vide ut scribas.* Both. *Addone id.*

III, 4, 27. Cure II, 3, 78. Epid. V, 2, 5. Pers. IV, 5, 10. Rud. IV, 4, 45. Trin. II, 4, 112. 158. — *habe* Poen. IV, 2, 32. — *jube* Amphitr. V, 1, 74. Mostell. II, 1, 79. Producitur Capt. IV, 2, 63. sed ibi personae mutantur. Hermannus Element. doctr. metr p. 153. Asin. III, 3, 96. ita posuit, ut produci videatur; sed quanquam ibi caesura excusatur, ego tamen cum Mss. et ed. Pr. lego *jubes*, ut sit indicativus pro imperativo, ut passim. Mil. II, 2, 26. *Sis jubé transire*, sed cod. Ambrosianus apud Majum habet *hos jube*, ex quo apparet, Plautum scripsisse: *Hós sis jùbe — mane* Asin. I, 3, 76. Mostell. III, 2, 161. Rud. IV, 3, 1. 8. 78. — *mone* Mostell. I, 3, 30. — *pave* videtur produci Pseud. I, 1, 101. sed ibi e lineamentis ed Pr. erue *paveas.* Idem fortassis restituendum Amphitr. V, 1, 58. quanquam productio ibi interpunctione excusatur — *redi* Aulul. I, 2, 3. — *roga* Pseud. I, 1, 112. — *suade* Truc. II, 3, 9. — tace Cure. II, 3, 78. Epid. V, 2, 3. Pers. IV, 5, 10. Poen. IV, 2, 84. Menaechm. II, 3, 63. legi debet *quin tu tace modo.* — vale Rud. II, 2, 18. — *vide* Poenul. I, 2, 146. Trin. II, 6, 18. producitur Poen. I, 3, 32. sed ibi sine dubio versus ab initio mutilatus est; nam adeo *videlicet* est proceleusmaticus Mostell. IV, 2, 64. Pauca quaedam ex his reperiuntur etiam apud Augusteae aetatis poetas, ut *oave* et *vide.* Alia, quae eam in rem adferuntur exempla, nihil probant. Larga manu congesserunt Burmannus ad Anthologiam vet. lat. ep. V, 38, 6. idem ad Lotich. III, Eleg. 1. p. 180. Scriver. ad Martial. III, 26. Barthius ad Grat. Cyneget. v. 461. et Burmannus ad eundem locum in Poet. minor. Tom. I. Heindorfius ad Horat. Sat. II, 3, 58. et Seyfertus Grammat. Latin. §. 3021.

Aulul. II, 2, 39.

Semper sum arbitratus et nunc arbitror. EU. aurum huic olet.

3027 sqq. Sed sunt omnia aut e locis corruptis, aut exstant apud sequioris aevi et pessimae notae poetas, qui omnia sibi licere putabant, aut correptio excusatur sequente vocali. Sed si quaeratur, unde nata sit tanta inter ejusdem gentis poetas discrepantia, non alia magis de causa id factum videmus, quam quod antiquiores illi naturam sequebantur et usum, epici vero et elegiaci poetae artem ac disciplinam, illi aures consulebant, hi grammaticae artis magistros. Quare ab illis praeter syllabarum quantitatem observabatur etiam accentus, hos praetervolabat. Et verè haec est illorum imperativorum ratio. Nam voculam pronuntiare dissyllabam, atque alteram syllabam, et breviorem quidem accentu notare, alteram eandemque longam deprimere, *cavē, vidē*, id prosus est contra naturam et vulgi consuetudinem. Dum enim prior i. e. brevior syllaba accentu evehitur, obscuratur altera, et quantum illi accedit ponderis, tantum huic detrahitur. Id non accidit aliis, veluti *salve praebe*, quae prisci illi poetae non minus constanter producunt, quam recentiores. Atque haec accentus vis latius patet, quam cuiquam primo intuitu videri possit. Nam corripiuntur etiam ultimae syllabae nominum nonnullorum, veluti *domi* Epid. IV, 1, 36. Trin. IV, 1, 22. *heri* Mostell. I, 1, 27. *ut heri sui etc* hero Mostell. IV, 1, 6. — *eodem modo* Aul. IV, 1, 11. Itaque semper pyrrhichium faciunt *ità*, *nisi*, *quasi*, et *sibi*, nunquam vero jambum, quod Bothio placet; et pro *sibi* et *quasi*, teste Quinctiliano, scribebatur *sibe* et *quase*; contra scribebatur *utei* pro *uti*, quod apud Plautum plerumque jambus est. Sed de his viderint ii, qui singulatim de accentibus linguae latinae scribere instituunt.

Mostell. III, 1, 59.

Jam hercle ego illum nomindbo. TR. Euge strénue.

Haec est genuina et antiquissimorum librorum lectio, quam nolim tanquam metro et sensui repugnantem sollicitasset Rostius V. C. in Plautin. Cuped. Ferc. IV. p. IX. revocans ex Aldina: *Jam ego hércle nominabo illunc*, et ex ingenio substituens: *age strénue*. Neutrum placet. Illud fluxit e communi omnium fere corruptelarum fonte e Parmensi 1510 et Veneta 1518. quarum tanta erat auctoritas, ut Juntina et Aldina eas fere semper sequerentur. Ibi enim Ugoletus et Grapaldus verba transposuerunt, his additis: *ita versus scribendus metri necessitate, non: iam hercle, quia non consisteret, et pedibus tantùm quinque ambularet.* Ceterum etiam *euge* recte se habet; est enim particula admirantis et laudantis, sed h. l. ut saepe cum ironia, ut Mil. II, 2, 58 et 86.

Mercat. I, 2, 71.

CH. Qui potuit vidére? AC. oculis. CH. quó pacto AC. hiántibus.

Both. *Qui vid. pot. - - - pactod.*

Ib. IV, 3, 33.

Non tú scis quae sit illa? LY. imo étiam scio.

Both. *illaec.*

Pseud. I, 1, 29.

Lege, vél tabellas rédde. PS. imo enim péllegam.

Both. *imo etenim*, quod, ut leniter dicam, absurdissimum est. Nam *enim* ut gr. γαρ in responsione usurpatur, sed non *etenim*. *Pellegam*, ita semper scribi debet, non *perlegam*, ut Bothius dedit, nec solum in Plauto, sed in omnibus scriptoribus. Cf. Priscian. L. I. p. 571. Putsch.

Ib. v. 80.

Numquíd peccatum'st, Símo? SJ. imo máxime.

Both. *numq. Sim. pec.*

Poen. V, 2, 81.

Populdritatis caúsa. PO. habeo grátiam.

Both. *causad.*

Huc pertinet etiam *Cist. II*, 3, 9. si vera est lectio, quam Osannus Analect. crit. p. 114. nescio unde dedit:

Extímuit tum illo? ME. hórret corpus, cór salit.

Ed. Pr. pro *illo* habet *illa* et *jam* ante *horret.*

Ib. v. 12. 13.

Age pérge, quaeso! ánimus audire éxpetit,
Ut rés sit gesta. ME. útinam audire nón queas.

In priore versu Bothius complementum suum *te* post *quaeso* interposuit, in posteriore: *ut gesta res sit.*

In ejusdem *Cistellariae fragmentis* ab Ang. Majo inventis *v.* 34. ap. Osan. p. 211.

A. Quid fáciam? B. ad matrem éjus devenís domum.

Aulul. II, 4, 28.

Imo équidem credo. ST. át scin' etiam quómodo?

Both. *credod.*

Curcul. I, 1, 41.

Oblóquere. PA. fiat máxime. PH. etiámtaces?

Both. *maximed.*

Mil. IV, 8, 5.

PL. Philocomasium sálve. PH. et tu sálve. PL. materque ét soror.

Stich. II, 2, 49.

DI. Vénit inquam. PA. tún' eum ipsum vídisti. DI. ita egó: libens.

Bacchil IV, 2, 18.
Quid ais tu? PA. ego istuc illi dicam. PI. dic mihi.

IX.

Quo accuratius rationem naturamque versuum Plautinorum consideramus, tanto magis apparet, Comicum nostrum sermonis quotidiani et tralatitii consuetudinem vel in rebus tenuissimis verissime expressisse. Ita solemus omnia orationis membra et incisa inter loquendum respiratione et mora quadam, scribentes interpunctione distinguere. Ibi hiatum nihil offensionis habere, nemo non concedit, nisi cui plús justo superbae ac fastidiosae sint aures. Sensit hoc is, qui et ingenio et arte princeps censetur inter Romanorum poetas, Virgilius. Hic enim adeo orationis membra notabat, ut non caesura solum, sed etiam hiatu ea dirimeret, veluti

Eclog. II, 53. *Addam cerea pruna; honos erit huic quoque pomo.*

III, 6. *Et succus pecori, et lac subducitur agnis.*

Ib. 63. *Munera sunt lauri, et suave rubens hyacinthus.*

VII, 53. *Stant et juniperi, et castaneae hirsutae.*

X, 13. *Illum etiam lauri, etiam flevere myricae.*

Atque etiam Plauto ita visum esse, e multis ejus locis apparet.

Curcul. I, 1, 46.

Eam vólt meretricem fácere: ea me déperit.

Ib. III, 80.

Conclúsi — itidem út pulli gallinácei.

Aul. IV, 4, 22.

Nóvi sycophántias, age! rúrsum! — ostende húc manum.

Both. *rursus*, sed elegantiore hac forma non usus est Plautus. p)

---

p) Eadem corruptela occupavit Plauti fragmentum apud Festum v. *canitudinem pro canitie. Plautus: Stultus est adversus aetatem et capitis canitudinem*; ubi e cod. Reg. Berol. legendum *adversum*. Ceterum nominum forma in *tudo* apud priscos frequentissima est. Apud Plautum occurrit *albitudo*, *bellitudo* apud Varronem: nam ita scribi debet Fest. v. *bellitudinem sicut magnitu-*

Asin. Prol. 10. lege:

Nunc quód me dixi vélle vobis dícere,
Dicám! Huic nomen graéce onago'st fábulae.

Ita est in ed. Pr. Bothius mira quadam *καινοτομία* fecit *hujic*. Ceterum non possum assentiri Osanno, totum hunc Prologum tanquam nimis jejunum a Plauto abjudicanti, q) et potius cum G. H. B. Wolffio, r) V. C. inter versum octavum et nonum excidisse aliquid puto. Etenim in ipsa, quam ille accusat, jejunitate multum video leporis. Nam orditur Prologus a magnifica compellatione magnarumque rerum exspectationem concitat, qua dum tenemur animoque suspenso scire avemus, quid dignum tanto sonet hic promissor hiatu; alia omnia eveniunt, sequitur nihil, ac nos delusos esse et hominem dicacem fumum vendidisse animadvertimus. Ejusmodi loca plurimum juvantur arte histrionis.

---

dinem Verrius dixit. Pro Verrius ed. Veneta 1490 fol. habet *Varrus*, cod. Reg. Berol. *Varro*, quae vera est lectio.

q) Analect crit. p. 170.

r) De Prologis Plautinis p. 5.

Quare conjunctio disjunctiva *aut* saepenumero non eliditur.

Asin. IV, 1, 59.

Ancillam ferre Véneri aut Cupídini.

Hermannus Elem. doctr. metr. p. 190. hunc hiatum nomine proprio excusandum putat, de quo dubito. Ceterum *suam* post *ferre*, quod recte omisit Hermannus, deest etiam in ed. Pr. Both. *Venerid.*

Pseud. I, 1, 17.

Juvábo aut re, aut ópera, aut consilió bono.

Both. verbis transpositis: *Aut re juv.*

Poen. V, 2, 49.

Quid in hánc venistis úrbem, aut quid quaéritis?

Similiter Virgil. *Eclog. VIII*, 44.

Aut Tmaros aut Rhodope, aut extremi Garamanthes.

VII, 23. *Versibus ille facit. Aut si non etc.*

Ovid. Metam. III, 184. Nubibus esse solet, aut purpureae aurorae.

Juvenal. VI, 247. *Quis nescit, aut quis non vidit vulnera pali.*

X.

Solemus etiam, natura ita ferente, *in exclamatione* orationis cursum inhibere, quae mora eam habet vim ut hiatus aures praetervolans nihil offensionis habeat. Hoc primus observavit Seidlerus s) in tragicis graecorum poetis. Quod quum tragici et Attici sibi indulserint, non dubium est, quin cum comici, tum potissimum Siculi poetae idem fecerint. Nec desunt exempla hujus rei in fragmentis comicorum; sed quum nunc apud plerosque major sit auctoritas conjecturarum, quam codicum manu scriptorum, eorum numerus indies minuitur. Quoquo modo se res habet apud Graecos, Plautum quidem in exclamatione non abhorruisse ab hiatu, satis me demonstraturum confido.

Asin. II, 2, 9.

Meá quidem hercle! ópera liber nínquam fies ócius.

s) In Epistola critica ad Lobeckium, addita Sophocl. Ajaci ed Lobeck. p. 436. et De versibus dochmiacis p. 80. sqq.

quanquam hic hiatus etiam a fine dipodiae excusatur. Ceterum omnes libri ita habent. Bothius Reizium tacite secutus, in quo minime eum sequi debebat, verba transposuit: *Mea q h. l. o n.*

Aulul. II, 2, 43.

Hei Megadore! haúd decorum fácinus tuis factis facis.

Hei pro vulgato *heia* habet cod. Vrat. et ed. Pr. rectissime. Nam magis convenit *hei* sermoni senis timidi et ingemiscentis ac deludi se ab altero suspicantis, quam *heia*, quod non nisi in cohortatione et ironia locum habet. Ceterum provoco ad judicium aurium, quae etsi in his rebus non solae possunt esse arbitrae, tamen in consilium vocandae sunt et prae digitis reverenter habendae.

Ib. II, 8, 22.

Perii, hércle! aurum rápitur, aula quaéritur.

Both. post *hercle* infersit *hodie*.

Ib. III, 6, 34.

Non pótem ego quidem hércle! ME. At ego jússero.

Both. mutavit *hercle* in *hoc die*.

Ib. IV, 8, 13.

At at! eccum ipsum! ibo ut hoc conddm domum.

Bothius auribus male consulens: *hoc uti.*

Mil. IV, 8, 20.

O mei oculi! ó mi anime! PA. óbsecro, tene múlierem.

Both. *o mi animed!*

Mercat. IV, 4, 60.

Uxŏr! heus uxor, quánquam tu irăta ès mihi.

Uxor in exclamatione ultimam habet pro longa. Bothius existimat, literam *r* finalem apud Plautum producendis valere syllabis. t)

---

t) Eandem hujus literae ab initio vocis positae vim in vocis praecedentis syllabam (ut apud Graecos est) statuit J. Fr. Gronovius Observat. II, 7. p. 203. sed exemplis utitur nihil probantibus. Nam Lucret. IV, 309. meliores cdd. habent: *inde retroversum redit et convertit eodem*, non *retrorsum*. Ib. v. 262. pro — — *tanquam aliqua res Verberet*, antiqua lectio est *aliquae res*. Cf. Wakefield ad utrumque locum. De forma *aliquae*. Priscian. L XIII. p. 960. Putsch. Simile est *si quae* pro *si qua*, cf. Bentlej. ad Horat. Serm. II, 6, 10. Jam Acidalius docuerat, Plautum passim syllabam finalem *or* producere; Bothius, omnes omnino syllabas, quae in literam *r* desinunt, interdum produci a Plauto, multis demonstrare conatur ad Amphitr. Prol. v. 38. Placet, exempla, quibus

Ib. II, 2, 13.

Salvé! o quid agis? quid fit? DE. quod mi-
sérrimus.

---

hi duumviri sententiam suam confirmant, breviter percensere, quo facilius intelligatur, num ad liquidum perducta res sit.

Amphitr. II, 1, 9.

Tamén quin loquár haec úti facta súnt hic.

Versus recta se habet, sed nihil probat, nam *loquár* commode potest in tres syllabas dissolvi. Qua ratione tollitur unum, quod e prisco aevo circumfertur, exemplum genitivi in *ii*. in versu Ennii apud Donat. ad Terent. Hecyr. seu potius apud Servium ad Virgil Aen. *Tarqüini corpus bona femina lavit et unxit.* Quam viam quare non inierit magnus Wolfius in not. ad Horat Sat. I, v. 3. nescimus.

Menaechm. II, 3, 10. (v. 273. Both.) metrum incertum est.

Poen. V, 6, 4.

Ut mé suspendam, ne áddicár Agorástocli.

Quid Bothius hoc versu probatum velit, nescio.

Aulul. IV, 10, 49.

Méus fuit patér Antimachus, égo vocor Lycónides.

In *pater* ultimam esse ancipitem, dixerit aliquis, sequente nomine proprio.

Asin. IV, 2, 1.

Age décumbamus sis pater, DE. ut jusseris.

Hic personae mutantur.

Menaechm. IV, 2, 8.

Si paúper est átque haud malús: nequam habétur.

Bothius primo versum corrupit cumque suum fecit, deinde pro Plautino venditat; nam omnes libri scripti et impressi habent: *si ést pauper* etc. quod genus hiatus ab initio versus ferri potest.

Poen. I, 3, 21.

MJ. J. módo. AG. non hercle méream. ah! MJ. vah! ábi modo.

Cistell. IV, 2, 8. metrum valde incertum.

Amphitr. II, 2, 87.

Vérum non est púero gravida. AM. Quid igitur? SO. insánia.

Hic personae mutantur.

Stich. IV, 1, 23.

Quíd agitur, Epignome? EP. quíd tu etc.

Nomen proprium sequitur.

Rud IV, 8, 22.

Ego nísi quum lusi, nil moror ullúm lucrum.

Ita Both. ed. pr. *ego mihi q.* Reizius verbis transpositis: *nihil égo* mihi quum lúsi, moror ullúm lucrúm.

Ib. IV, 3, 87.

Si tu proreta ísti navi es, égo gubernatór ero.

Gubernator est vox graeca. Reiz. inseruit *ei* ante *ero.*

Stich. I, 2, 83.

Nóstis est uxór — invita quae dd virum nuptúm datur.

Interpunctione diremtum est *uxor* a seq.

Poen I, 2, 151.

I soror! Abscéde tu a me. AG. Péril! ecquid agis Milphio?

Est exclamatio. ed. Pr. habet *eo quid.*

Epid. V, 1, 49

Séquere hac me, sorór. EP. ego ad vos Thésprionem jússero.

Hic personae mutantur; ceterum Both. glossema illud *mea* recte expunxit; deest etiam in ed. Pr.

Asin. V, 2, 77.

Jam óbsecro, uxor! AR. Nunc uxórem me ésse memínisti tuam?

Módo quum dicta in me ingerebas, ódium, non uxór eram.

In *Cistellariae fragmentis* a Majo inventis

v. 24.

Utrúm deliras, quaéso, an amans sómnias?

Praecipua quaedam vis est in *usor*, quod nexus docet. Reiz. *uxor non eram, odium.*

De *Mercat IV*, 4, 60. supra dictum est.

Rud. I, 3, 12. (v. 16. Reiz. v. 110. Both.) metrum admodum dubium.

Amphitr. I, 1, 68.

Deínde uterque imperatór in médium éxeunt.

Ed. Pr. *utrique imperatores*, quod ego genuinum censeo, sed scribendum *imperatore'*; prisci enim etiam in longis syllabis literam *s* omittebant, veluti Ennius ap. Fest. in *Sas.*

Virgine' nam sibi quisque dómi Romanus habet tas.

Simillimus huic locus est ejusdem Amphitr. I, 1, 74.

Imperatór utrínque hínc et illínc Jovi.

Ib. I, 3, 50.

Atque nox, quantó fuisti lóngior hac próxima.

Aulul. II, 2, 39.

Sémper sum arbitrátus et nunc árbitror. EU. aurum hulc olet.

Personae mutantur.

Epid. III, 2, 35.

Vorsútior es quám rotá figuláris. EP. iam ego pardbo.

Versus mihi suspectus ob accentum male cadentem.

Bacchid. I, 2, 15.

I, stúltior es bárbaro Petítio.

Most. I, 1, 42.

Non ómnes possunt ólere unguenta exótica,

Si tú oles neque superior accumbere.

Ed. Pr. habet *sicut tu*, cdd. Pal. *si tu. Superior* quamvis sit in omnibus libris ferri nequit; nam praeter metrum etiam rationes grammaticae re-

v. 37.

Expurgabo hercle omnia usque ad raucam ravim,

ubi delendum est *usque*, quod etiam deest in Nonio, qui eundem hunc versum habet.

---

luctantur. Quare puto scriptum fuisse *superiore*, idque aut quartus casus numeri pluralis erit, aut supplendum *loco*, ut saepe, veluti Pers. V, 1, 15. *Tu, Sagaristio, accumbe in summo.* [Nisi quis ideo soloecismum ferendum censeat, quod *servus rusticus* loquatur. Quod ego nego ac pernego.

Mercat. II, 3, 77.

Hércle quin tu récte dicis ét tibi assentór ego.

Nummus a Bothio cusus! Ed. Pr. Veneta II et III. habent *assentior* et omittunt *ego*. Veneta 1518. *et tibi ego assentior*, item Juntina, Aldina et Cratandria. Vulgatum *et tibi assentior ego* dedit Camerarius, quem sequuntur omnes, nullo excepto, praeter Bothium, qui jure in numerorum inconcinnitate offendebat. Mihi praeplacet *et ego assentiór tibi.*

E tanta igitur farragine, quam Bothius ad rem suam probandam congessit (sunt autem viginti quinque loci) ad summum quatuor idonei reperiuntur testes, quorum testimonio efficitur hoc, *nomina num quorundam, maxime comparativorum, syllabam finalem or apud Plautum esse ancipitem.* Cujus rei hanc causam deprehendisse mihi videor, quod prisci Latini pro litera *r* in multis vocabulis literam *s* adhibuerunt. In exemplis, quae Varro de L. L. VI, 5. adfert, est etiam *janitos* pro *janitor;* et Festus; *r pro s litera saepe antiqui posuerunt, ut majosibus*, melio-sibus. *Syllaba os* vero apud Latinos producitur.

Praeter alios multos etiam hic locus documento est, Ambrosianum Plauti codicem jam interpolatum habere textum.

XI.

Est aliud hiatus genus huic nostro non dissimile, ubi verbum, in quo praecipua quaedam vis inest, ponitur in initio versus trochaici, ita quidem, ut tribracho pro trochaeo posito, tanta arsei addatur vis, ut hiatus, qui est inter arsin et thesin, non animadvertatur. Nunquam tamen Plautus in puris trochaeis hoc sibi indulsit, quod Pindarum factitasse, observavit Boeckhius in notis crit. ad Pindar. Olymp. VII, 2.

Mercat. I, 2, 69.

Túam amicam. C. quid eam? A. vidit. C. vídit? vaeh miserò mihi.

Ib. II, 4, 11.

Túam amicam. CH. nimium multum scis. EU. Tuis ingrátiis.

Ed. Pr. mendose: *tu is ingratus*, ex quo apparet, in Mss. fuisse *ingratiis* non ingratis. Bentlejus ad Terent. Adelph. IV, 7, 26. *Certum est*, inquit, *nec Nostrum nec*

Plautum usquam dixisse gratis, semper τρισυλλάβως gratiis.

Ib. V, 2, 4.

Dómi erat quod quaéritabam! sex sodalis réperi.

Most. V, 2, 57.

Ibi utrumque et hóc et illud póteris ulcisci probe.

Amphitr. I, 1, 306.

Uti ego hodie ráso capite cálvos capiam píleum.

Scripsi *uti* pro *ut*.

XII.

Etiam *nominibus propriis* hoc tribuitur licentiae, ut elisionem negligere possint. Sed ingenue fateor, me huic licentiae cum in universum, tum maxime in versibus Plautinis vehementer diffidere. Nam quae Hermannus Element. doctr. metr. p. 88 et 190. hanc in rem adfert, ea omnia, nullo excepto, a caesura aut aliunde satis excusationis habent, et Aulul. III, 6, 33.

Potáre ego tecum hódie Euclió volo,

legi potest *hoc die*, quanquam cod. Vrat.

ed. Pr. et omnes antiqui libri habent *hodie*.

Hoc unum concedo, nomina propria a Plauto, quo distinctius audiantur, plerumque collocari in eo versus loco, ubi et aliis de causis hiatus legitimus est. Ita factum videmus in omnibus locis ab Hermanno congestis.

XIII.

Sed quod maxime memorabile est, apud Plautum vocabulum *homo* plerumque ita ponitur, tanquam non a vocali, sed a consonante incipiat. Constat, recentiorem Italorum linguam carere adspiratione (exceptis quatuor vocabulis hô, *hai*, *ha*, *hanno*) et abjicere eam in omnibus vocibus, quae in latina lingua adspirantur, veluti ex *habitator*, *hasta*, *horrendus* fit *abitatore*, *asta*, *orrendo*. In una voce *homo* mutaverunt in *v*, *uomo*. Ex quo non inepte aliquis suspicetur, hanc vocem apud quosdam ex iis populis, e quorum colluvie plebs et lingua Romana coaluit, adspirationem habuisse reliquis vocibus adspiratis sonantiorem,

eamque non literis monumentisve, sed indocto plebeculae ore per tot seculorum decursum esse servatam posterisque traditam. De hoc similibusque vocabulis intelligo locum Diomedis L. II. p. 417. Putsch. *H interdum consonans, interdum adspirationis creditur nota.* u) Videntur vero potissimum Sabini, ut apud Graecos Aeoles, pro adspiratione in multis verbis literam *v.* adhibuisse, ut *voedus, vircus, variolus* pro *hoedus, hircus, hariolus* dicerent, quod apparet e multis veterum grammaticorum locis, quos omnes collegit Seyfertus in Grammaticae Latinae Tom. I. p. 47. Loca Plauti sunt fere haec:

Aulul. I, 2, 33. omnium codicum lectio est;

Nam nón est verosímile hominem paúperem.

---

u) Neque enim puto, Diomedem respicere suae aetatis poetas, quorum nonnulli omnia sibi licere putabant. Qui postea vixerunt, veluti Arator, Aldhelmus aliique adspirationem passim pro consonante usurpant. Cf. Gronov. Observat. in scriptor. eccles. c. XV. p. 156. Quod utrum fecerint novandi studio, an doctrinam ostentantes suam, quia ita factum esse a priscis scirent, non audeo definire.

Pylades, metri necessitate cogente, ait, scribendum esse *nam verosimile non est.* Hunc deinceps sequuntur omnes usque ad Camerarium; Bothius etiam Pyladem sequitur.

Ib. II, 2, 49. 50.

Vénit hoc mi, Megadóre, in mentem, té esse
hominem dívitem,
Fáctiosum, mé item hominem paúperum pau-
pérrimum,

si vera est haec Gruteri lectio; nam omnes ante hunc habent: *venit hoc mihi in mentem* M. v. 50. in omnibus ante Gruterum libris post *item* est *esse.*

Asin. IV, 1, 11.

Aliénum hominem intromittat néminem.

Ita omnes praeter Pyladem, qui ante *neminem* injecit *ad se.*

Most. III, 1, 65.

Quid tú homo hominum ómnium tetérrume,
Venísti huc extentátum?

Ita omnes antiqui, Pylades: *quid tu nunc hominum te omn.* Rostius Plautin. Cup. Ferc. IV. p. X. legi vult: *quid tute homo.* Vetus lectio non sollicitanda. Ceterum extenta-

tum nemo interpretum recte intellexit, nec Forcellinus, nec Rostius; quare fere omnes mutandum censuerunt, Rostius in *extenuatum* (*h. e. exhaustum et exinanitum*). Verum vidit Wakefield ad Lucret. III, 489. interpretatur enim: *cujus rei vis facere periculum tam fortiter et efficaciter. Ex* saepenumero augendi vim habet, ut in *exclamare, expostulare.*

Menaechm. III, 2, 24.

Flagitium hominis súbdole ac minimí preti.

Ib. 50. 51.

— *Nón tu abis quo dígnus es?*
Aut té piari júbe homo insanissime.

Jube est in ed. Pr. Veneta II et III. Illud *jubes* sine dubio Pyladis est commentum, nam primum inveni in Veneta 1518. deinde omnes receperunt. Et commode locum potest habere modus imperativus, nam interrogatio, quae ante eum est, imperandi vim habet.

Bacchid. IV, 8, 63.

Ne súpplicare cénseas, nihil homo.

Rud. I, 1, 43.

Ecquém tu hominem crispum, incanum víderis.

Ibi recte Bothius ob nexum delevit *hic* ante *hominem*, quanquam habent omnes libri.

Menaechm. V, 9, 29. 30. lego:

Nón ego hominem hómini similiórem vidi unquam dlterum, x)

x) De pronomine *alter* disceptationem nuper movit G. P. E. Wagner, V. Cl. ad Elegiam ad M. Valer. Corvinum Messalam p. 43 et 73. sqq. Negat enim, *alter* usquam dici pro *alius*, aut *alius* pro *alter*, aitque *alter* semper esse nostrum *ein zweiter, der andere*. Mihi quidem res ita videtur: Triplici potissimum ratione, praeter vulgarem usum, pronomen *alter* usurpatur. *Primum* ut sit fere idem quod *secundus, ein zweiter*, ut Horat. Sat. I, 1, 40. *dum ne sit te ditior alter*. Cf. Heindorf. ad h. l. Apud Plautum Amphitruo *pernego*, inquit, *quando Thebis praeter me nemo est alter Amphitruo*. Huc etiam referri possunt ejusmodi formulae: *si quis alteri injuriam faxit*, etc. ibi enim non est pro *alii*. *Deinde* ponitur pro *unus, ullus*, ut *nemo alter* sit i. q. *nemo ullus, nemo unus, nemo quisquam*, quae saepius occurrunt. Plaut. Amphitr. I, 1, 1. *Qui me alter est audacior homo? Wo ist nur Einer, der k.* Most. V, 1, 24. *Alter hoc Athenis nemo doctior dici potest. Durchaus keiner* etc. Item Amphitr. IV, 3, 12. Cist. IV. 1, 8. Pers. IV, 4, 16. Poen. IV, 2, 5. Mil. III, 1, 65. et noster Menaechm. locus, in quibus omnibus notio *secundi*, quam ille vult, prorsus inepta foret ad sensum. Eodem fere sensu dicitur *nemo alius, nullus alius*, ut Mercat. I, 1, 99. *ecce ad me advenit mulier, qua mulier alia nulla est pulcrior. Tertio* denique est i. q. *alius*. Tibull. IV, 1, 18.

Neque aqua aquae, neque lacte est lacti, mihi crede, usquam similius.

V. 29. *nam* mutavi in *non* et *nunquam* in *unquam*, et v. 30. legebatur *crede mihi*, quod nusquam occurrit apud veteres, nam semper dicunt *mihi crede*.

Rud. IV, 5, 3.

Satin' si quoi homini dei esse benefactúm volunt,

non opus est, ut cum Reizio scribamus *quoji*.

Curc. IV, 3, 45.

Quoi hómini dei sunt própitii, lucrum ei profecto objíciunt.

Most. IV, 2, 33.

Quoi homini? P. hero nóstro, quaeso quóties dicundúm'st tibi.

XIV.

Recensuimus leges, quas Plautus in hiatu observasse nobis videtur, non illas qui-

---

I, 9, 79. Alia loca exhibent Gesnerus et Forcellinus in Thesauris. Sed et *alius* interdum ponitur pro *alter*, ut Captiv. Argum. 2 et 9, qui locus est instar omnium.

dem temere a nobis excogitatas aut ex disciplinae cujusdam praeceptis ductas et in Plauti versus illatas, sed e diligenti ejus lectione et accurata prosodiae, accentuum et metrorum observatione ipsaque sermonis humani natura depromtas. Exempla quanquam in immensum augeri poterant, tamen plura, quam quae sufficerent ad rem nostram demonstrandam, addere noluimus. Ex iis vero, quae a nobis disputata sunt, si operae ratio constat, sequitur, omnes locos, in quibus hiatus nostris rationibus non potest excusari, alicunde vitii aliquid traxisse, ad quod investigandum hiatus ipse viam potest monstrare. Ejusmodi vero loci, ut nullo corruptionis genere immunis est Plautus, in nostris exemplaribus passim occurrunt, quos egomet omnes emendandos aut ut spurios abjiciendos esse censeo. Res ipsa monet, ut eorum quosdam adferam.

Asin. Prol. 4. apud Gronovium est:

Face jám nunc tu praeco ómnem auritúm populum,

levi transpositione juvatur: *face núnc iam tu* etc. *Jam*, si praecedit *nunc*, dissyllabum

est apud Plautum. Ceterum *auritum facere* est *attentionem alicujus movere, audientiam ei facere*, ut est in Prologo Poenuli. Pro *face* antiquissimae editiones habent *ecce*, ex quo Gulielmus fecit *exci*. Sed iam Laurentius Valla suspicatur, legendum esse *face*, quod Pylades in antiqq. cdd. se reperisse testatur.

Ib. I, 1, 77. sqq.

Cupis id, quod cupere te necquidquam intellego;
Dotdlem servom Saúream uxór tua,
Addúxit, quoi plus in manu sit, quàm tibi.

Ita est in ed. Pr. Veneta II et III. Pylades fecit *Sauriam nam*. Juntina, Aldina et Cratandria *Sauriam*. Dousa et Camerarius itemque Curio, quem Taubmannus Ne-Curionem dicit, mutarunt in *Saurean*, quod Bothio elegantius videtur, quam *Sauream*. Quae qualis sit elegantia, videant elegantiores homines. Si dicendi elegantia est in verbis electis, propriis, aptis, concinnaque *et pura* oratione, non video, quomodo placere possit peregrinitatis adfectatio in scriptore Romano, nedum in poeta comico.

Nam etsi epici graecas nominum formas interdum sectantur, comici tamen studiose devitant. In ejusdem scenae v. 44. est: *noster est Leonida*, non *Leonidas*, et ita semper. Cf. Priscian L. VI. p. 679. Putsch. et Bentlejus in Epist. ad Millium p. 517. sqq. ed Lips. Davisius et Heindorfius adeo Ciceroni latinas formas restituerunt rectissime, ut puto, et e codd. Cf. Heindorf. ad Cic. de Nat. Deor. II, 2. p. 125. III, 22 et 23. p. 336 et 342. Quare et Amphitr. II, 2, 217. scribendum est *Naucratem*, non *Naucraten*, ut Bothius dedit contra codicum et edd. antiqq. fidem, et nostro in loco restituendum *Sauream*. Sed metrum refragatur? Veram hujus loci emendandi rationem Hermannus olim mihi subministravit, quum hoc duce Plautum tractare coepissem:

Dotálem servom Sáuream ne uxór tua,
Adduxit etc. pro *adduxerit*.

Ib. II, 1, 15.

Séd quid est, quod pícus ulmum túndit, non
temerárium'st:

Cérte hercle ego quantum éx augurio aúspici intéllego.

Ita omnes libri et manu et typis scripti. Merula suspicatur, legendum esse: *auguriod auspicioque*, quod Guietus et Bothius receperunt. Eodem modo Reizius, omisso illo *d* insiditio, ita tamen ut *augurio* in fine corripiatur. Idem proposuit Pareus in anim-adv. tertiae Plauti editioni a se factae adjectis. Nisi omnia me fallunt, Plautus scripsit:

— — *quantum ex augurio auspico atque intellego*;

nam *augurium* et *auspicium* idem fere esse constat. Festus v. *augur ab avibus gerendoque dictus, quia per eum avium gestus edicitur*; nam ita legi debet e cod. Reg. Berol. et ed. Veneta 1490. apud Gothofr. est *educitur*, apud Dacier. *ediscitur*. Idem v. *auspicium ab ave specienda*, ut est in eodem cod. non *spicienda*.

Aulul. III, 3, 1. sqq.

Hóc quidem, quoquo íbo, hercle, mécum erit, mecúm feram;

Néque istuc in tantis periclis únquam committam út siet.
Ito sane núnc intro omnes et coqui et tibícines,
Et etiam introdúce, si vis, vél gregem vandálium.

In v. 1. inde a Camerario a. 1552. legitur *nunc* post *ibo;* receperunt hoc omnes deinceps. Primus Gruterus omisit, post hunc Patavina. *Nunc* sine dubio intrusit Camerarius, non monito lectore; ego metrum transponendis verbis restitui. In v. 3. in omnibus post *nunc* legitur *jam*, quod metrum turbat, nam post *nunc* semper est dissyllabum; ortum e voce sequente delevi. Pro *ite* in cod. Vrat. est *ita*. v. 4. ante *etiam* excidit *et* quod ego restitui. *Et etiam* pro *atque adeo* occurrit quoque apud Ciceronem, cf. Schütz. Doctr. particul. L. L. p. 174. sq.

Menaechm. V, 9. 95. sqq.

Auctio fiét Menaechmi máne sane séptimi,
Vénibunt servi, suppellex, aédes, fundi, ómnia,
Vénibunt quiqui licebunt, praésenti pecúnia,

Uxor quoque etidm venibit, si quis emtor venerit.

Nihil mutavi praeter verborum ordinem et interpunctionem v. 96. est enim in omnibus libris *fundi, aedes;* ego transposui, cum ut hiatus vitaretur in illo loco vitiosus, tum ut gradatio, quae inest, juvaretur. Non mirum est, neminem interpretum hunc locum nobis explicuisse, qui in omnibus libris ita interpungitur, ut intelligi nequeat. Nam quaeso, quid hoc est: *omnia venibunt, quiqui licebunt.* Nos dedimus, ut sententiae concinnitas jocique festivitas postulat. Ubi singulatim et conceptis verbis edixit, se omnia plus licitantibus addicturum, addit, quod nemo exspectaverat, se omnes adeo homines venditurum, omnes, quorum ab emturientibus pretium offerretur. Alle sollen verkauft werden, auf welche gebothen wird. Sed simul inest nequitia; nam quinam hi possunt esse, nisi parum pudici, qui ipsi sese venditant. Denique v. 98. pro *venibit uxor q. e.* ita disposui verba, ut usus postulat. Nam quod Bothius dedit: *uxor venibit q. e.* id propterea mihi displicet, quod

quoque etiam semper subjecto adjicitur, nullo verbo intercedente, ut Amphitr. Prol. 30. *atque ego quoque etiam.* v. 81. *hoc quoque etiam.* Eodem modo Epid. II, 2, 50. IV, 2, 19. Mercat. II, 2, 56. Pseud. IV, 1, 22. Pers. I, 3, 65. Poen. Prol. 40. Trucul. I, 1, 77. IV, 2, 18. Terent. Hec. V, 1, 35. Ceterum novo modo nostrum locum explicuit Rostius Plautin. Cuped. Fercul. III. p. VIII. sqq. Ille enim, qui negat, *licere* per se unquam idem esse ac *vendi et aestimari*, omnem hanc locutionem elliptice intelligit, ita quidem, ut *quiqui* sit tertius casus pro *quoiquoi*, supplendumque sit *emi*. De quo mihi quidem nunquam persuadebit.

Mostell. V, 1, 71.

Sed eccum tui gnati sodalem video huc incedere.

Pro *huc* ed. Pr. habet *hic*, quod sine dubio ortum est e genuino *illic* per compendium scripto.

Poenul. V, 3, 18.

Tua pietas nobis plane auxilio fuit.

Hoc habent omnes libri, neque tamen hiatus ferri potest. Scribendum esse puto *deplano*, i. e. *prorsus, penitus*, ut est apud Lucret. I, 412. *Hoc tibi deplano possum promittere, Memmi.* Ita enim hunc locum cum Wakefieldo intelligo, non ut Forcellinus in Thesauro v. *planus* ut sit *facili negotio, nullo labore, non multa opera et cura adhibita.* Amat Plautus adverbia composita a praepositione *de*, quae plerumque augendi vim habet, ut *derepente, desubito, de praefacili*, ut habent cdd. et ed. Pr. Epid. V, 2, 21. *compacto* et *decompacto* Captiv. II, 3, 24. 29. Huc pertinent quaedam Festi glossae: v. *dedita intelligitur valde data. Deperire valde perire*, in cod. Reg. Berol. additur *valde amare. Delata valde lata*; hanc glossam, quam in nullo libro edito inveni, exhibet idem cod. Reg. Berol. *despretus valde spretus* et id genus alia.

Pseud. I, 5, 7.

Atque id iam pridem sensi et subolet mihi.

Ita antiquissimae editiones, Pr. Veneta II et III. Sed quum Pylades hiare versum sentiret, ad vulnus conglutinandum injecit

ego, quod e communi omnium corruptelarum fonte, ed. Veneta 1518 pervenit in Juntinam, Aldinam, Cratandriam, Camerarii, Curionis, Dousae, Sambuci, Lambini, Taubmanni priorem et alteram, Parei et Boxhornii. Primus omisit Gruterus, post hunc Gronovius, ed. Patavina, Bipontina utraque et Viennensis. Offendit temporum diversitas, quanquam non ignoro, quae monuit Drakenborch. ad Liv. III, 46. Quidni scripserit: *sensi et subóluit?* Sed *subólet* non nisi in tempore praesente usurpatur, jungiturque saepe *sentio*. Trin. III, 2, 72. *video, subolet sentio*. Quare quovis pignore contendere ausim, Plautum scripsisse:

— — — — *sentio et subólet mihi.*

Sensi ortum e *sentio*, cujus extrema syllaba cum sequente vocali coalescit. Fortassis etiam ab eo profectum, qui nesciret, *jam pridem* jungi cum tempore instante verbi infecti, sive de actione usurpari incepta ac nondum perfecta, sed perdurante, ut Cic. ad Attic. II, ep. 5. *Jam pridem cupio Alexandriam visere.* Bothius, antiqua lectione servata, hiatum ferendum censet,

quod ultima syllaba in *sensi* corripiatur. Ita nullum est vitii genus, quod Bothius non probet, amet, propaget, dummodo displiceat aliis.

XV.

Restat, ut de *elisione*, quae contraria est hiatui, pauca dicamus. Ac primum quidem, si quaeratur, quae fuerit ejus ratio, numque eam habuerit vim, ut alterutram e literis coeuntibus prorsus absorberet, ante omnia tenendum est, duplicis eam generis esse, *συναλοιφήν* et *ἐκθλιψιν*. Ut ab hac potissimum incipiamus, ingratus literae finalis *m* cum sequente vocali concursus dicitur *ἐκθλιψις*. y) Ejusmodi loca in scholis nunc vulgo ita leguntur, ut illud *m* penitus devoretur. Hanc rationem falsam esse, in-

y) Eodem fere modo eam describunt Sosipater Charisius IV. p. 249. Diomedes II, p. 437. Valer. Probus p. 1440. Donatus p. 1772. Marius Victorinus p. 2510. Putsch. Sed, quod merito quis miretur, omnes ad unum eodem utuntur ecthlipsis exemplo: *Multum ille.* Quanta egestas in summa rerum abundantia!

telligitur e loco Quinctil. Instit. Orat. IX, 4, 39. (Tom. III. p. 550. Spald.) „*Atqui eadem illa litera* (*m*) *quoties ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur, ut Multum ille et Quantum erat; adeo, ut paene cujusdam novae literae sonum reddat. Neque enim exprimitur, sed obscuratur et tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsae coeant.*“ Neque hoc quidem semper apud priscos factum videtur, ut patet e Prisciani L. I. p. 556. Cf. Wakefield ad Lucret. I, 362, II, 465. III, 197. Herman. Elem. doctr. metr. p. 61. sq. Eadem fere ratio est συναλοιφῆς. Pronunciabant vocales coeuntes, ut quidem audirentur, sed ita, ut in unam syllabam coalescerent. [2]) Idem videtur statuere Hermannus p. 62. sq. his verbis: *Latini non elisione, sed synizesi usi vi-*

2) Quinctil. Inst. Orat. XI, 5, 33. (Tom. IV. p. 352. Spald.) „*Ut est necessaria verborum explanatio, ita omnes computare et velut annumerare literas molestum et odiosum. Nam et vocales frequentissime coeunt, et consonantium quaedam, insequente vocali, dissimulatur.*“

dentur. Atque haec est propria ac nativa prisci sermonis pronunciatio, quae Ciceronis aetate Romae jam intermortua, certe affectatione infuscata erat. Nam Cicero suavitatis laudem, quae leni literarum appellatione continetur, tantum quibusdam familiis propriam tribuit, Laeliorum, Mutiorum, Catulorum, qui soli fere incorruptam antiquitatem servaverant. Huc pertinet Cic. De Orat. III, 12. ubi vasta, rustica et *hiulca* locutio pressae, aequabili, *leni* ut contraria opponitur. Non solum enim in versibus, sed etiam in prosa oratione elidebant. Quis enim sibi persuaserit, aliter in scena, a) aliter in foro et tabernis locutos esse Romuli nepotes? Quae res etsi ex omnibus Ciceronis disputationibus oratoriis atque etiam aliunde apparet, aliud tamen idemque manifestum addam argumentum, locum Ciceronis De Divin. II, 40. „*Cum*

a) Quinctil. II, 10. 13. (Tom. I. p. 316. Spald.) „*Actores comici nec ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, pronunciant, quod esset sine arte, nec procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imitatio, sed morem communis hujus sermonis decore quodam scenico exornant.*“

M. Crassus exercitum Brundissii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caveret ne iret, non fuisse periturum, si omini paruisset." Quid inde? Nonne haec clare et evidenter ostendunt, *cauneas* et *cave ne eas* eundem habuisse sonum? b)

Idem valet de *synizesi.* Neque enim haec dijudicanda sunt e linguae Germanicae ingenio longe diversissimo. Nam etiamnum in Italorum poesi non placent versus absque synizesi, contra quo plures in iis vocales coalescunt, eo plus habent gratiae; quod secus est apud Germanos. Nam quae vel mitissima et auribus jucundissima quidam conati sunt, veluti:

b) Praeterea etiam hoc inde discimus, literae v. pronunciationem admodum lenem fuise et propius accessisse ad nostrum *w* quam ad *f*; quod ita esse, magis etiam apparebit ex iis, quae deinceps de vocibus *novus*, et *navis* dicentur.

Ein Irren in Elysiums goldnen Auen.
Und tönen ewig nur Mysterien wieder,

ea non omnibus probarunt. Haec vocales collidendi consuetudo multo magis obtinebat in prisco Romanorum sermone, quam Ciceronis et Augusti aetate, quo tempore qui elegantius loqui vellent, morem epicorum et elegiacorum affectabant, vocales singulatim et distincte pronunciantes. Apud priscos et, nisi fallor, seriore aetate apud plebem, per synizesin haec maxime efferebant: *ejus*, *ei*, *eum*, *eam*, *eo*, *ea*, *eis*, *eos*, *eas*, *eumque diem celebrant* apud Accium, *eosdem* adeo apud Propertium IV, 7, 7. 8. *eodem* apud Lucilium, *meus*, *tuus*, *suus* in omni genere et casu, (hinc grammaticorum glossae: *sis*, *sos*, *sas pro suis*, *suos*, *suas*;) *sua* apud Virgil. Eclog. VII, 54. cf. Voss ad h. l. *quoius*, *quoi*, *quoad*, *quousque*, *deus*, *dei*, *deos*, *deae*, *deas*, *seorsum*, *deorsum*, *proinde*, *deinde* (hoc nunquam est trisyllabum, cf. Burman. ad Anthol. Lat. L. II, 17, 14.) *antehac*, *fuit*, *fuisse*, *eunt*, *caudeam*, (Plaut. Rud.) *rei*, *aurei*, *deerit*, *deosculari*,

dehinc, *lien*, *scio*, *nescio*, *navis*, *navem*, *novus*, (cf. Bentl. ad Ter. Phorm. V, 8, 79.) *iuventus*, *aiebant*, *tueris*, *Nerei*, *praeopto*, *duo*, *diu*, *iit*. c)

Haec et alia multa antiquitus ab omnibus per synizesin efferebantur; quare quo antiquiores sunt poetae, eo saepius habent contractiones, quas vulgo dicunt. Sed epici poetae simulatque a versibus Saturniis ad dactylicos hexametros transierunt, etiam

c) Similiter apud Plautum composita verbi *jacio*, veluti *abjicio*, *objicio* saepe primam habent brevem. Eadem verba Norisius observavit, in codice Virgilii Mediceo semper una *i* scribi; Orthographia Norisiana p. 105. Item Duker. ad Flor. I, 10, 5. Heusinger ad Theodor. Mall. p. 45. In eodem codice semper scriptum erat *abit*, non *abiit*, cf. Heinrich ad Cic. Orat. part. ined. p. 101. Neque hoc praetermittendum, omnium vocalium maxime *e* et *i*, ut tenuissimas, coalescere cum aliis, prorsus ut apud Graecos, apud quos multa ex iis vocabulis, quae supra attuli, itidem synizesin subeunt, veluti δυοῖν, cf. Herman. Elem. doctr. metr. p. 53. γεὸν, quod ut unam eamque brevem syllabam in versu Praxillae commemorant Hephaestio c. 2. Draco p. 146. et Eustath. ad Il. p. 12. θεᾶ et θεαῖν apud tragicos. cf. Seidler ad Eurip. Electr. v. 134.

a communi dictionis consuetudine conversi sunt ad studium nova et inaudita dicendi et quae vel maxime a vulgari sermone recederent. Severiores erant novi carminis leges, opus jam erat brevibus syllabis, molesta erant tot vocabula monosyllaba, alia multa numeros dactylicos respuebant. Quare tanta secuta est commutatio dictionis, quantam apud Graecos factam esse, nemo poterit demonstrare. Distrahebant, quae commode distrahi posse, atque etiam ab aliis (tragicis poetis) passim distrahi viderent. Et vere ab hoc tempore Romae duplex in usu erat sermonis Latini pronunciatio; plebs, quae, ut jam Aristoteles observavit, antiquitatis tenacissima est, priscum morem servabat; sed qui doctiores videri vellent, novas easque elegantiores poetarum formas recipiebant. Hinc multorum verborum formae prorsus immutatae sunt, non solum distrahendis, sed etiam inserendis vocalibus ac syllabis; veluti in iis nominibus, quae terminabantur in *clum*, [d]) ut

d) Haec vere antiquior est forma et haud dubie ab Etruscis in Latium deducta; nam in Tabula Eu-

obstaclum, *oraclum*, *periclum* assumebant literam *u*, item in *poplus*, quod jam occurrit in carmine Saliari, pro *mi*, *prendo*, *vemens* dicebant *mihi*, *prehendo*, *vehemens*, et quum antea media syllaba in nominibus *Castoris*, *Hectoris* more Romano produceretur, [e]) nunc, Graecos imitati, corripiebant; hexametri causa syllabam penultimam in *Hannibalis* corripiebant, quum vulgo produceretur; [f]) eandem ob causam genitivis *ingeni*, *auxili*, *praesidi*, *perfugi*, *consili*, quum numeris refragarentur, analogiam adjectivorum secuti, alterum *i* ad-

---

gubina, Etrusco sermone scripta, occurrit *Kumnacle*, quam formam etiamnum Galli servant. Cf. Gorii Antiquitates Etruscae.

e) Haec a priscis producta esse, diserte docet Varro De L. L. IX. p. 178. Bipont. et Quinctil. Inst. Orat. I, 5. cf. Davis. ad Cic. Tusc. I, 44. Scaliger et Popma in notis ad illum Varronis locum.

f) Est Epigramma Varronis in Anthol. Lat. I, 50. trimetris iambicis conscriptum, cujus initium hoc est:

Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum.

Cf. Burmannus ad h. l. et Valerius Probus apud Gell. N. A. IV, 7, qui *Hannibalem* et *Hastrubalem* et *Hamilcarem* ita pronunciabat, ut penultimam circumflecteret, eoque modo Plautum et Ennium multosque alios veteres pronunciasse affirmabat.

jecerunt; g) alia in alias abiere formas, alia prorsus antiquata. Tam insignis commutationis primum auctorem fuisse Ennium statuo, quem merito Romani tanquam alterum Homerum coluerunt, donec Horatius, Augusti assentator, Graecorum simia, Romani ingenii contemtor, cives suos insanabili graezissandi morbo, ne dicam furore infuscavit, quemadmodum sanae ac virilis Graecorum imitationis auctor iis fuerat cum Plauto Ennius.

---

g) Nisi forte novae hujus genitivorum formae, quantum scimus, a Propertio primum usurpatae, origo repetenda est a pentametro elegiaco. Bentlejus, quod satis constat, primus docuit, non Virgilium, non Horatium, non priorum poetarum quemquam duplex i in genitivis illis usurpasse, ad Terent. Andr. II, 1, 20. Sed quid statuamus de genitivis et dativis *fide, die, facie?*

INDEX SCRIPTORUM

QUORUM LOCI EXPLICANTUR EMENDANTUR DEFENDUNTUR.

	Pag.
Caecilius ap. Cic.	22
Cicero Orat. c. 45,	2
Diomedes II.	54
Ennius ap. Donat.	47
Festus *augur*	62
— *hallitudinem*	41
— *canitudinem*	41
— *delata*	66
— *madusa*	33
Juvenalis VI, 247.	43
Ovid Metam. III, 184.	43
Plautus Amphitruo. I, 1, 68.	49
— — I, 1, 306.	52
— — II, 1, 9.	47
— — II, 2, 217.	61
— — V, 1, 68.	58
— Asinar. Prol. 4.	59
— — Prol. 10.	42
— — I, 1, 77, sqq.	60
Plautus Asinar. II, 1, 15.	61
— — II, 2, 9.	44
— — II, 2, 26.	26
— — II, 2, 112.	27
— — III, 3, 96.	35
— — IV, 1, 10.	34
— — IV, 1, 11.	55
— — IV, 1, 14.	11
— — IV, 1, 15. 46.	17
— — IV, 1, 24. 30. 33. 34.	19
— — IV, 1, 40.	15
— — IV, 1, 59.	45
— — V, 2, 24.	26
— — V, 2, 77.	48
— — V, 3, 23.	27
— Aulular. Argum alt. 1.	21
— — Prol. 7.	7

	Pag.
Plt. Aulular. I, 1, 5.	6
— — I, 1, 26, 30.	11
— — I, 2, 33. . .	54
— — II, 2, 39. .	36
— — II, 2, 43. .	45
— — II, 2, 49. 50.	55
— — II, 3, 7. .	25
— — II, 4, 18. .	7
— — II, 4, 28. .	59
— — II, 4, 37. .	7
— — II, 8, 22. .	45
— — III, 3, 1 sqq.	62
— — III, 3, 7. .	25
— — III, 5, 11. .	8
— — III, 5, 34. .	10
— — III, 6, 5. .	16
— — III, 6, 33. .	52
— — III, 6. 34. .	45
— — IV, 4, 15. .	26
— — IV, 4, 22. .	41
— — IV, 6, 13. .	10
— — IV, 8, 3. .	11
— — IV, 8, 13. .	46
— Bacchid. III, 4, 24.	21
— — IV, 2, 18. .	40
— — IV, 8, 63. .	56
— Casin. I, 58. .	18
— — — III, 1, 1.	26
— Cistellar. II, 3, 9. 12. 13. . . .	38
— — Fragm. a Majo inv. 24. . . .	49

	Pag.
Plautus Cist. Fragm. a Mjoa inv. 34. .	39
— — — 37. . .	50
— Curcul. I, 1, 44.	39
— — I, 1, 46. .	41
— — II, 3, 55. .	27
— — III, 80. . .	41
— — IV, 3, 45. .	58
— — V, 2, 38. .	27
— Epidic. V, 1, 49.	48
— Menaechm. II, 3, 63. . .	35
— — III, 2, 24, 50, 51. . .	56
— — III, 2, 53. .	21
— — IV, 2, 8. .	47
— — V, 2, 11. 20.	31
— — V, 3, 6. . .	15
— — V, 9, 29. 30.	57
— — V, 9, 95. .	63
— Mercat. I, 2, 69.	51
— — I, 2, 71. .	37
— — II, 1, 35. .	16
— — II, 2, 13. .	47
— — II, 3, 77. .	50
— — II, 4, 11. .	51
— — IV, 3, 33. .	38
— — IV, 4, 5. .	17
— — IV, 4, 60. .	46
— — V, 2, 4. . .	52
— — V, 2, 11. .	28
— — V, 4, 8. 9.	28

	Pag.
Plaut. Mil. II, 2, 26.	35
— — IV, 3, 32.	7
— — IV, 8, 5.	39
— — IV, 8, 20.	46
— — V, 9.	30
— Mostell. I, 1, 19. 20.	20
— — I, 1, 37.	22
— — I, 1, 42.	49
— — I, 1, 80.	15
— — III, 1, 59.	37
— — III, 1, 65.	55
— — IV, 2, 33.	58
— — V, 1, 71.	65
— — V, 2, 57.	52
— Poenul. Prol. 94.	20
— — I, 3, 21.	48
— — I, 3, 32.	55
— — I, 3, 34.	21
— — III, I, 32. 35.	30
— — III, 4, 8. 15.	14
— — V, 2, 8.	14
— — V, 2, 49.	34
— — V, 2, 81.	38
— — V, 3, 18.	65
— — V, 3, 19.	14

	Pag.
Plautus Pseudol. I, 1, 17.	43
— — I, 1, 24. 42.	13
— — I, 1, 29. 80.	38
— — I, 1, 101.	35
— — I, 5, 7.	66
— — V, 1, 1.	32
— Rud. Prol. 55.	15
— — I, 1, 30.	56
— — III, 6, 21.	20
— — IV, 5, 3.	58
— Stich. II, 2, 49.	39
— — III, 2, 7.	13
— — III, 2, 18.	14
— Trinum. Prol. 15.	21
— — Prol. 18.	13
— — I, 2, 169.	13
— — III, 2, 30.	26
— Trucul. II, 5, 8.	32
Tibull. I, 1, 25.	19
Virgil. Eclog. II, 53.	40
— — III, 6, 63. VII, 53. X, 13.	41
— Eclog. VII, 23, VIII, 44.	45

CORRIGENDA.

Pag. 9. lin. 8. scribe: *cum e diff.*

— 11. — 11. pro *conjunct.* scribe: *indicativum.*

— 20. — 8. pro *instr.* scr.: *intr.*

— 30. linea 12 ponatur ante 11.

— 32. lin. 22. *Hoc* ictu notetur.

— 34. — 15. pro 11 scr.: 10.

— 63. — 3. pro *ito* scr.: *ite.*

THESES.

I.

Linguae Latinae origines in Tusca potius, quam in Graeca lingua esse quaerendas.

II.

Non exstitisse carmen epicum apud Romanos ante Livium Andronicum.

III.

Biantis dictum, ita esse amandum, ac si aliquando simus osuri, non indignum videri sapientis ingenio.

IV.

Veterum incubationem non diversam esse a somnambulismo, quem hodie vocant, multoque frequentius in morbis curandis adhibitam, quam apud nos.

V.

[illegible] sed scholae discendum.

VI.

In Musaei Carm. de Her. et Leandr. v. 32. 33. scribendum esse:

Πύργον ἀπόπρο γονέων παρὰ γείτονι ναίε θαλάσσης,
Ἄλλη Κύπρις ἄνασσα σαοφροσύνη τε. καὶ εἴδει.

VII.

Non vituperandum esse Divum Hieronymum, quod post lacrimas, quas praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus erueret, ad' manus sumserit Plautum comoedum.

3 1888

Lp 26.818
Quaestionum Plautinarum Liber primu
Widener Library 004606998
3 2044 085 248 904